

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

1. Friedersdorff, F. Livius u. Polybius.

2. Michael, W. De ratione, qua Livius.

3. Virck, H. Quellen d. Livius u. Dionysios.

LIVIUS ET POLYBIUS
SCIPIONIS RERUM SCRIPTORES.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

F. FRIEDERSDORFF

HALBERSTADIENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXIX.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

ERNESTO DE LEUTSCH

HERMANNO SAUPPE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

LIVIUS ET POLYBIUS,

SCIPIONIS RERUM SCRIPTORES.

De fontibus decadis tertiae Livianae scripturo magna se offert multitudo eorum, qui de libris XXI et XXII doctas quaestiones instituerunt; de libris posterioribus decadis III post Lachmannum nemo fere accuratius disputavit. Cuius disputationis summum discrimen cum in eo versetur, ut origo similitudinis Livii et Polybii explicetur, similitudo autem illa non solum in libris XXI—XXII Livii, sed multo magis etiam in posterioribus inveniatur, is mihi ad difficilem quaestionem solvendam haud spernenda videtur addere, qui posteriorum librorum verum fontem invenerit; quo cognito et cum libris XXI—XXII comparato, quid discriminis inter utrumque intercedat, et quibus in rebus consentiant, facile apparebit. Quod cum non sine aliqua difficultate fieri posse intelligerem, opus aggressus sum non virium fiducia, neque ut cum hominibus doctis iniquum certamen inirem, sed quia res ipsa inter legendum et comparandum magis magisque me alliciebat.

Etenim cum Livii libros lectitarem et Polybium non ita raro adirem, primum me cepit similitudo librorum Livii XXI—XXII et Polybii III; deinde, cum pergerem in legendo, praeter eas partes, quas sine dubio ex Polybio desumptas putabam, iterum inveni similitudinem in libris XXVI—XXX

Livii et X—XV Polybii: quibus saepius perlectis cum omnes Livii partes, quae cum Polybio consentirent, ad Scipionis expeditiones in Hispaniam et in Africam pertinere viderem, ceteras autem Livii narrationes a Polybio diversissimas cognoscerem esse, facere non potui, quin de illarum rerum origine paullo accuratius quaestionem instituerem.

Itaque non erit huius loci, Livii libros XXI—XXII cum Polybii III comparare; permulti enim homines docti de his libris scripserunt [1]), alii aliam sententiam professi, plerique autem F. Lachmannum secuti, qui in commentatione: de fontibus historiarum Titi Livii. (Gottingae 1822. 1829) inde a libro XXI Polybium Livii esse fontem dixerat.

Ac maxime quidem Niebuhrium laudabant, quippe qui, ut homo summae doctrinae ac sagacitatis, quamquam non prorsus recte, tamen rectius quam ceteri de ratione judicasset, quae inter Livium et Polybium intercederet. Dicit igitur. (De historia Roman. praelect. ed. Schmitz. p. 84) „Livius tum demum, cum de rebus Philippi, regis Macedonum, dicturus esset, Polybium adiit.“ Rectissime quidem; sed infra: p. 204—205. „Sed nonnullis in partibus velut in pugna Cannensi, Livius accuratissime Polybium sequitur.“ — Itaque ne illius quidem viri judicium sibi constat; quod eo

1) Cfr. C. Peter, Über die Quellen des XXI—XXII Buches des Livius programm. Portens. 1863; qui inde a Livii l. XXI. quae cum Polybio consentiant, Polybio; reliqua L. Caelio Antipatro deberi putat; quem sequitur: O. Meltzer, De L. Caelio Antipatro belli punici secundi scriptore. Halle 1867. — Tillmanns, annales philolog. B. 83. p. 844 ff. a libro XXIII Polybium putat fontem. — Nitzsch, Kieler Monatszeitung für Wiss. u. Litt. Kiel. Januar 1854, in libris XXI—XXII Livii et in III Polybii communem fontem putat esse: Q. Fabium Pictorem, nunc aliam sententiam profitetur: v. Sybels histor. Zeitschrift 1864. B. 11. p. 1 ff., ubi Silenum communem fontem esse dicit; quam sententiam magis explanavit: C. Böttcher, Quaestiones criticae de T. Livii libro XXI—XXII fontibus. Regiomont. 1867. — C. Bajack, de Sileno, scriptore Hannibalis. Regiomont. 1859. — Schwegler, röm. Geschichte. B. I. p. 110. — Lucas, de ratione, qua Livius in libris historiarum conscribendis usus est opere Polybiano. Glogau Osterprogr. 1854. p. 17. Michael, In wie weit hat Livius den Polyb. benutzt? Torgau. Progr. 1859.

magis miremur, cum jam Lachmannus II, p. 32 largius exposuerat, in hac ipsa pugna Cannensi describenda Livium a Polybio longe diversum esse.

Sed qui Nissenii accuratas quaestiones de genere scribendo Liviano inspexerit, cognoscet, omnes illos saepius quasi falsam quandam speciem sectari ac rerum verborumque fallaci similitudine deceptos inter se pugnantia aut non vidisse, aut facili modo explicanda putavisse. (H. Nissen, Quaestiones criticae de fontibus decadis IV et V Livianae. Berolini 1863).

Censebant enim, Livii opus ex tribus quasi partibus compositum esse; ex una, (ut recentiorum verbis utar) quam mere polybianam, ex altera, quam mere annalisticam, ex tertia, quam his duabus partibus inter se conjunctis et coaugmentatis genus scribendi mixtum appellabant [2]). Sed genus illud mixtum omnino ferri non posse jam inde apparet, quod iis tantum locis inveniri potest, qui cum maxima ex parte Polybium autorem videantur sequi, nonnullis rebus, iisque falsis, ex annalibus desumptis magis depravati, quam correcti sunt; quod autem nunquam loci, in universum annalium modo conscripti, ex pragmatia Polybiana aucti et amplificati sunt. Videbant hoc antiqui; sed mirabantur tantum, quod Livio studium fuisset, falsis narratiunculis et fabellis narrationem Polybii maculandi [3]).

Accedebat ad hunc errorem alius. Liber III enim Polybii et ll. XXI—XXII Livii cum soli integri essent conservati, aptissimi putabantur ad comparandum. Et recte quidem; sed in eo errabant, quod eandem rationem, quam in his libris etiam in ceteris inter duos illos scriptores intercedere

2) Lucas. l. l. p. 17.: Livius aut res a Polybio narratas iis, quae apud annalium scriptores legebantur, amplificavit, aut artius eas contraxit. cfr. O. Meltzer, de Caelio Antip. p. 45. Similiter judicat. C. Peter. l. l. p. 73.

3) Deluc, in epistola bibliothecae universali Genev. 1819. II, p. 50 sq. insita (Lachmann II, 91): En général j'ai remarqué dans le petit nombre de chapîtres de Tite Live, que j'ai eu occasion de comparer avec ceux de Polybe, que toutes les fois, que le premier auteur en copiant le second, y ajoutait ou y changait quelque chose, il se mettait en contradiction avec lui même, ou il en resultait quelque absurdité.

credebant. Livius enim in decade tertia raro ex Polybio descripsit, saepissime in quarta et quinta, quod jam Michael l. l. ita perspexerat, ut non multum a veritate aberraret[4].

Sed prorsus nulla causa fuit, cur inter Livium et Polybium his locis aliam rationem intercedere putarent, quam inter Livium et Dionysium, qui saepe inter se consentiunt, sed quorum consensus ex veteribus annalibus est derivandus, quos uterque secutus est[5].

Haec igitur homines docti ante Nissenium. Ille autem (Quaestiones criticae etc.) Livio cum Polybio comparato perspexit, Livium autores, quos secutus est, non amplificavisse et correxisse, sed descripsisse; (p. 80—82) modo tardius, modo celerius; (p. 33 infine) quid intersit inter annales et Polybium eum non semper vidisse, nisi ubi illi mentiendi voluptati nimis se dedissent; (p. 50 an. 9). Si utrorumque narrationes conjunguntur, nulla cura adhibita juxta se ponuntur; (p. 107). Quare saepius accidit, ut eadem res, quae apud utrosque prorsus aliter narrata erat, bis apud eum legatur, neque Livius videatur perspexisse, has narrationes inter se non convenire. (p. 120 sq.).

Nunquam autem res inter se contaminavit, quod Peterus eum simili ratione, qua combediarum scriptores, fecisse dicit (cfr. Nitzsch, in museo rhenano XXIII, p. 600—601).

Quod Nissenii judicium secutus Boettcher Regiomonti 1867 de fontibus librorum Livii 21—22 scripsit[6], cui cum

---

4) p. 16. „Es sind nach meiner Meinung nur die Ereignisse in Griechenland, Macedonien, Asien und Aegypten, für die Livius den Polybius als Hauptquelle benutzt hat, aber auch so treu benutzt hat, dass er bis zum 45. Buche für — Polybius einen fast vollkommenen Ersatz gewährt"; recte, sed in eo erravit, quod in decade tertia Livium nunquam ex Polybio dicit descripsisse; cfr. Lachmann II, p. 51—52; qui jam senserat, „*non eodem modo* quo in decade tertia etiam *in quarta Polybium esse conversum.*"

5) C. Peter, progr. Anclam. 1853. Das Verhältniss des Livius und Dionysius von Halicarnass zu einander und zu den ältesten Annalisten p. 11—12.

6) Nitzsch, v. Sybels histor. Zeit. 1864 p. 20. — M. Buchholz: Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit. Gryphswald. 1865.

in universum recte disputavit, de summa rerum erit assentiendum, eo, communem esse fontem, quem in his libris et Livius et Polybius secuti sint, (p. 26 etc.); quae eum non recte demonstrasse putamus, infra explicabimus. Priores igitur libros decadis III. mittamus, quaestionemque de posterioribus instituamus.

Quorum maximam fere partem, si Nissenium sequimur, apparet, annales auctores habere ac recte homines doctos judicasse, cum solas res Graecas ex Polybii pragmatia desumptas esse dicerent. Hic Nissenius quidem (p. 85) polybiana putat oppugnationem Syracusarum XXIV, 4—7; 21—39 XXV, 23—31 expugnationem Tarenti, XXV, 7—11. XXVIII, 5—8. XXIX, 12. bellum cum Philippo, XXIV, 40. XXVI, 24—26. XXVII, 29—32. quibus equidem addiderim pugnam navalem ad Tarentum XXVI, 39, defectionem Metapontinorum et Thurinorum XXV, 15, et nonnulla alia, de quibus dubitari possit.

Sed non cadunt in hanc regulam, quae in libro Liv. XXIX de crudelitate Plemminii in Locrenses ac de ejus accusatione apud senatum narrantur[7]); quae quamquam ad urbem graecam pertinent, tamen Romanum habent auctorem atque ejus quidem factionis, quae Scipionis gloriae detrectare studebat. (L. XXIX, c. 8—9. 16—22) cfr. Weissenborn ad 29, 9, 12. H. Peter: De fontibus Plutarchi in Vitis Romanorum conscribendis p. 51—56. Ad has igitur partes, quae ex Polybio desumptae videntur, proxime accedunt aliae quaedam, quae cum Polybii fragmentis simillimae sint, tamen nonnulla habent ab iis aliena, ita ut ab iis, qui Lachmanni sententiam sectabantur, ad genus mixtum fere pertinere dicerentur. Quas partes cum in libris Livii XXVI—XXIX invenire putarem, omissis libris XXI—XXIII mihi perquirendas proposui, simul ut fontem earum, quantum fieri posset, perspicerem. Atque causas quidem, cur haec capp. a reliquis diversa putaverim, omnes recensere, non esset hujus loci; certe consensus cum Polybii fragmentis gravissima erit causa. Ab hoc igitur

7) Videntur ad eundem fontem pertinere XXIV, 7—9; ubi Fabius laudibus effertur; (XXIV, 9, 11) et XXVIII, 40—45; hic quoque fons cum voluptate quadam narrat, quam infesti patres et tribuni Scipioni fuerint. cfr. H. Peter l. l.

consensu cum in judicio de ceteris capp. ferendo sit exeundum, id jam per se patet, de iis rebus omnino agi non posse, quae ad magistratus creandos, prodigia recensenda, alia, quae in annalibus perscripta erant, pertinent, qualia sunt XXVI c. 1—4; c. 21—24; c. 26—37. XXVII, c. 4—11; c. 20—27; c. 33, 6—38. XXVIII, c. 4, 5—7; c. 9—12. Quae cum a Polybio prorsus abesse debeant, missa faciamus; sed ea quoque, quae res in Italia ab Hannibale et contra eum gestas continent, aut a Polybio prorsus dissentiunt, aut talia videntur, ubi fragmenta nos deficiunt, vix ut in pragmatia locum habuisse possint. Sic apud Livium XXVI, c. 14—17 in narranda Capuae oppugnatione traditur, Fulvius consul una cum legionibus Capua relicta Hannibalem ad Romam secutus esse, quam narrationem nihil crediderim esse, nisi imitationem notissimi illius itineris Neronis contra Hasdrubalem. Liv. XXVII, c. 43, 9. Polybius autem contrarium affert: IX, 7, 7 μόνον ἐπὶ τῆς πολιορκίας τοὺς περὶ τὸν Ἄππιον, dicitque IX, 8 Consules dilectu forte sub id ipsum tempus instituto, subitarium exercitum contra Hannibalem eduxisse. — Idem quadrat in ea, quae in Liv. libro XXVII leguntur, ac maxime in ea, quae de pugna ad Metaurum narrantur, quamquam nonnullis in rebus cum Polybio videntur consentire. Sed apud Livium legimus, XXVII, 47, 9 Hasdrubalem a ducibus desertum ad pugnam coactum esse; Polybius XI 3, 1 Gallos vino repletos circa vias stratos fuisse narrat, quos Livius somno fatigatos in terram delapsos dixerat.

Sed res in Hispania et in Africa a Scipione gestae fere semper eodem modo, quo a Polybio exponuntur; nonnunquam etiam iis, quae in Italiae rebus gestis narrandis afferuntur, prorsus repugnant. Sic in rebus Scipionis tradendis nunquam dicitur, Hasdrubal sibi proposuisse in Italiam trajicere, immo post pugnam ad Baeculam factam demum videtur hoc consilium cepisse; quod in iis partibus, quae ad res Italiae pertinent, saepius legitur, XXVII, c. 6. c. 7. c. 35, 8; Romanique hoc nuntio perculsi dictatorem dicunt. Accedit, quod XXVI, 51, 3 Laelius Carthagine nova a Scipione Romam mittitur; annales autem XXVII, 7 dicunt, eum Tarracone esse profectum. Quibus praemissis ad ea capita, quae res

Hispaniae et Africae continent, quae Polybio simillima neque tamen ex eo desumpta diximus, nos convertamus.

Ac primum quidem, si narrationes rerum in his terris gestarum perlustramus, haeremus in libro XXV, c. 32—39. Etenim cum in hoc libro res in Italia gestae accuratissime explicentur, nominibus regionum, urbium, vicorum additis; mirum quantum earum rerum in Hispania sit scriptoris ignorantia. Publius igitur et Cn. Scipio ex hibernis, quae ignota sunt, proficiscuntur; c. 32, 1; alter contra Magonem, alter contra Hasdrubalem interfacturus, quos ubi versentur ignoramus, nisi quod Magonem quinque dierum iter abesse audimus [8]). Publius autem a Poenis circumventus cum exercitu deletur paucis perfugis relictis c. 35, 15; neque dicitur, quo loco. Cneius contra ab Hispanis destistutus se recipit, neque dicitur, in quam regionem; Poeni eum persecuti circumveniunt, neque dicitur, quo loco. c. 35—36. Nunc demum c. 37, 8 audimus, Poenos Hiberum transiisse, unde apparet, quae ante narrata erant, in ulteriore Hispania gesta esse; Marcius autem, eques Romanus, parvo exercitu collecto primum Poenos a vallo coercet, tum una nocte duo castra Poenorum opprimit capitque, vix nuntio cladis relicto.

Itaque intra septem capitum spatium omnes Poeni non minus misere perierunt, quam Romani; nos autem cum ex tota descriptione, tum ex iis quae sequuntur, suspicionem capimus, res non ita gestas esse, sicut Livius narrat [9]) Haec omnia enim magno verborum splendore ornata atque arte rhetorica expolita inter pulcherrimas operis Liviani partes referuntur; atque videtur scriptor ex hac narratione, quamquam omni regionum definitione et rerum inter se nexu caret, quasi gaudium quoddam percepisse [10]).

---

8) Accedit, quod locus non ab omni graviore corruptela vacat; sic c. 32, 2 pro »Ibi« malis nomen urbis legi; poteras de »Ide« vel »Ibe« (L. XXVIII, 21, 7) cogitare; etiam Amtorgis, c. 32, 5, vel Antorges, c. 32, non potest recte habere; prorsus corrupta sunt c. 33, 2—3. Etiam ratio belligerendi c. 32, 4—6 et 32, 10 non perspicitur.

9) De difficultatibus chronologicis huius loci cfr. U. Becker, Vorarbeiten zu einer Geschichte des 2ten punischen Krieges (in Dahlmanns Forschungen II, 2); p. 113—114.

10) Non sine aliqua veritatis specie Claudium, qui Annales Acilianos

Idem fere quadrat in Liv. XXVI, c. 17, ubi C. Neronem Capua capta a patribus cum duabus legionibus in Hispaniam missum narrat, a quo Hasdrubal inclusus fraude punica dicitur evasisse. Sed ne hic quidem fons sanus atque integer nominari potest. Nomina quidem urbium Iliturgis et Mentissae in finibus Ausetanorum afferuntur, prope lapides atros, ubi Hasdrubalis erant castra, c. 17, 4; sed hoc ipsum quam maxime dubium esse, omnes editores viderunt. Ausetani enim prope Hiberum incolebant, Liv. XXI, 23, 2. XXIII, 49, 5: urbes Iliturgis vero et Mentissa in finibus Oretanorum et Turdulorum erant sitae. Liv. XXIV, 41, 8. Strabo III, 2, 1. Sin autem contra codicum auctoritatem Ausetanos in Oretanos mutamus, procul ab Hibero Neronem dicimus progressum; Sed c. 20, 2 Scipio milites laudat, quod omnibus Hiberum agro hostes arcuissent; neque dicit, eos flumen esse transgressos; idemque in oratione apud milites c. 41, 25 res a Nerone et a Marcio gestas aeque ignorat. cfr. etiam Polybium, X, 6, 4: ὡς τάχιστα ἴδωσι διαβάντες X, 6, 6. X, 7, 3—4, qui copias Scipione duce primum Hiberum transiisse affert. — Accedit, quod si Nero cum tantis copiis in Hispaniam pervenerat Hiberumque transgressus Hasdrubalem ad summam inopiam redegerat, sane mirum est, primum quod c. 18, 1 nullus populus Hispanorum dicitur a Poenis defecisse, tum quod Romae ejus rei mentio omnino non fit; sed summus maeror ob interfectos Scipiones summusque metus omnes capit, ita ut imperatorem vix possint invenire [11]). Illud quoque commemorandum est, Neroni, qui usque ad c. 17 in Ca-

ex graeco in latinum sermonem vertit, Livii fontem esse dicas; nam ex iis annalium scriptoribus, quos c. 39, 12. 39, affert, solus Claudius eadem, quae Livius videtur narrasse. — Ad veritatem proxime accedit Piso. c. 39, 15 cfr. Polybius X, 6, 2. et 7, 1 cfr. Becker, Vorarbeiten p. 109. in annotat.

11) Quae Weissenborn ad c. 18 anotavit, has difficultates omnino non removent; mihi videntur patres, cum L. Marcium, ducem turbulentum, praetorio officio nollent fungi (cfr. Liv. XXVI, 1, 9,) alium misisse, qui exercitum ab eo acciperet, C. Neronem. Cujus res gestae, non sane praeclarae, postea, cum ipse ob Hasdrubalem victum clarior factus esset, in majus auctae sunt. cfr. Liv. XXVIII, 44, 9 qui locus ad nostrum spectat.

pus oppugnandis versatus erat, vix tantum temporis suppetiisse, ut adversus Hasdrubalem eadem aetate res gerere potuisset.

Sed si c. 18 et quae sequuntur, intuemur, omnia prorsus aliter se habent. Res a Marcio et a Nerone gestae non multum profecisse videntur; tres enim exercitus Carthaginiensium omnem ulteriorem provinciam obtinent; Liv. XXVI, 20, 6 novus imperator, P. Cornelius Scipio, populi suffragio creatus in provinciam mittitur; cujus iter accuratissime describitur, c. 20, 10; atque, id quod maximum est, in fragmentis Polybianis inde ab hoc loco tantum cum Livio consensum et rerum et verborum invenimus, ut comparationem instituere, summi momenti videatur esse. Pol. X, 1—21, 34—41 Liv. XXVI, c. 18—c. 20, 6. c. 40—51. XXVII, c. 17—20.

Lachmannus igitur II, 48—49 putat, c. 20 non esse polybianum; c. 40 et quae sequuntur, omnia ad Polybium pertinere, sed ampliores etiam annales esse usurpatos. — Quod ad c. 20 recte perspexit homo doctus. Livius etiam c. 18—19 Scipionem imperatorem creatum narrat, additque descriptionem morum summi viri, de quo eaedem fere fabulae, quae de Alexandro Magno afferuntur, c. 19, 7. Eadem apud Polybium leguntur, quamquam alio modo. Quae Liv. de Scipionis creatione c. 18, 6—11 dicit, prorsus desunt; narratur autem Polybio teste, quomodo aedilis factus sit, X, 4—5; qua in narratione nonnulla inveniuntur, quae Livii verbis similia sunt, cfr. Polybius X, 5, 2. Livius XXVI, 18, 7.

In Scipionis autem moribus describendis Polyb. X, 2, 12—13 dicit, eum omni superstitione liberum multitudinis animos sibi propitios reddidisse, cum se cum diis communicare consilia fingeret, quod minus recte exponit Liv. XXVI, 19, 4 (sive ipse capti quadam superstitione animi). Fabulae autem, quae apud Livium XXVI, 19, 7 leguntur, absunt a Polybio, atque omnino ab eo abesse debebant, unde per se patet, Livium ejus opere hoc loco non esse usum.

Livius deinde XXVI, 19, 10—20, 6 exponit Scipionis iter in Hispaniam atque ejus adventum. Accuratissime nominatur numerus et genus navium c. 19, 11; itineris directio, origo urbis Massiliae et Emporiorum a Phocaea, ita ut fontem optimum, eumque graecum, suspiceris esse. Tum Tar-

raconem Cornelius se confert, c. 19, 12; legatos civitatum cum benigno responsu dimittit; c. 19, 14 hiberna veterum militum adit; quibus conlaudatis novisque militibus in hiberna abductis ipse Tarraconem redit. c. 20, 1—4. Afferuntur deinde hiberna trium exercitum Carthaginiensium, c. 20, 6; omniaque sub hiemem 211 gesta sunt. Paullo aliter Polybius. Iter Scipionis ad comparandum non exstat, fortasse exciderat ante X, 2; aut non tam accurate erat perscriptum. Tum vero non sub hiemem 211 Scipio in Hispaniam venit, sed initio veris 209; quare nifallor, apud Liv. XXVI, 18, 7 annos 24; apud Polyb. X, 6, 10 annos 27 natus dicitur. De legatis sociorum nihil; praetereundo tantum X, 6, 4 afferuntur. Convocat deinde in hibernis veteres milites, quibus collaudatis non Tarraconem se recipit, sed Hiberum transgreditur; parte copiarum relicta. X, 6, 7. Quae fuerint ejus consilia, quam callide de iis ceteros celaverit, exponitur X, 6, 8; duces Carthaginiensium inter se fuisse discordes traduntur, cujus rei, quamquam summi est momenti, neque c. 20 neque c. 40 apud Livium ne verbum quidem legimus. Deinde vero hiberna Carthaginiensium exponuntur, sed prosus aliter quam apud Liv. c. 20, 6. cfr. P. X, 7, 5 [12]). Livius autem talibus in rebus nunquam plura affert, quam is, quem sequebatur; unde igitur haec, si Polybium inspexerat? Itaque haec res sola, si cetera omnia non magni putamus momenti, comprobat, Livium hoc loco non usum esse opere Polybiano. Sed in hac diversitate haud ita rarus est verborum inter se consensus; velut. Liv. XXVI, 18, 7. c. 19, 4 = Pol. X, 2, 12. X, 6, 10. alia.

Interruptam rerum in Hispania gestarum narrationem Livius capite 41 denuo incipit. Quae apud Polyb. X, 7—9

---

12) Liv. XXVI, 20, 6. Hasdrubal Gisgonis usque ad Oceanum et Gades, Mago in mediterranea maxime supra Caulstonensem saltum, Hasdrubal Hamilcaris filius proximus Hibero circo Saguntum.

Polyb. X, 7, 5. *Μάγωνα μὲν ἐπυνθάνετο διατρίβειν ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν, ἐν τοῖς Κονίοις προςαγορευνομένοις, Ἀσδρούβαν δὲ τον Γέσκωνος περὶ τὸ τοῦ Ταγοῦ ποταμοῦ στόμα κατὰ τὴν Λυσιτανήν, τὸν δ᾽ ἕτερον Ἀσδρούβαν πολιορκεῖν τινα πόλιν ἐν τοῖς Καρπησιανοῖς.*

cfr. U. Becker, Vorarbeiten, p. 126. annot. 7.

accuratissime de Scipionis consiliis exposita sunt, apud Liv. non sunt; qui narrat, Scipionem initio veris 210 classi atque exercitu ad os Hiberi convocato ipsum cum quinque milibus sociorum eodem contendisse, ibique ad veteres milites orationem habuisse. Haec omnia apud Polybium non leguntur, neque tamen a Livio ficta esse possunt, cum accuratissime indicet, quomodo unaquaeque res gesta sit. Quae vero apud Liv. c. 41—44 sequntur, cum in optimis codicibus desint, in posterioris aetatis manuscriptis ab homine quodam docto ad lacunam explendam videntur addita [13]).

Quod revera ita se habere, jam inde concludi potest, quod usque ad hanc lacunam Livius a Polybio nonnunquam diversus est; in hac ipsa autem lacuna deteriores codices ad verbum cum eo consentiunt. Quae imitatio tanta est, ut corrector Livii haec omnia Polybium secutus, addidisse debeat, neque intellexisse, se aut cum ipsius Livii verbis repugnantia scribere, aut inepta. Tres enim duces Carthaginiensium inter se esse discordes, quod Livium nusquam commemorasse supra vidimus, praetereundo tantum in Scipionis oratione XXVI, 41, 20 affert, neque intelligit, rem gravissimam sic confici non posse. Deinde cum apud Polyb. X, 11, 11 Scipionem orationem habuisse videret, ipse quoque c. 43 orationem inserit, non respiciens, se c. 41 demum ejusdem viri orationem scripsisse; ita ut Scipio videatur dicendi nunquam finem fecisse. Accedit, quod nonnulla in verborum ordinem recepit, quae Livius in Polybio vertendo saepissime omittere solebat; consilia Scipionis, situm Carthaginis. Hanc ipsam vero situs descriptionem brevius quidem contraxit, sed cum apud Polyb. X, 9, 8 eam in forma digressus a proposito insertam videret, ipse quoque per digressum oritur: „Ceterum sita Carthago sic est"; quam rationem, in historia conscribenda docendi a Livio esse alienissimam, quis est, qui ignoret? — Ad extremum corrector, ut de aliis rebus taceam, sub finem c. 43 rationem,

---

13) Omnes codices paullo antiquiores hanc lacunam non expleverunt. Puteaneus enim habet: »sine meo luctu quem armaverat, quum terra marique instrui etc.«; unde apparet, lacunam esse antiquissimam, et jam in eo exemplari fuisse, quod Put. sequitur.

cfr. Madvig, emendationes Livianae. p. 203. Drakenborch. ad. h. l.

qua ipsius verba cum Livio coaugmentaret, non etiam invenit, quam ut inepte ad verba codicum vetustiorum respiceret.

Dicit igitur corrector XXVI, 43, 10 „cum terra marique oppugnari eam jubet“; atque pergit ipse Livius c. 44, 1. „Cum terra marique instrui oppugnationem videret“; quae verbositas Livium minime deceret. Itaque sine dubio haec capita XXVI, 31, 18—44 ab homine docto non ita male in Livium inserta sunt, neque vero ita, ut hoc factum esse accuratius inspicienti non appareat.

Jam sequitur apud utrumque oppugnatio Carthaginis novae, quae in universum eodem modo atque interdum etiam iisdem verbis narratur, sed multa sunt apud Livium, quae Polybius non habet atque vix habere potuit.

Livius igitur XXVI, 44, 2 dicit, Romanos eruptione ab oppidanis facta parumper cessisse, duce praecipiente; Polyb. X, 12, 7 Scipionem aciem procul ab urbe direxisse; ut hostes propius ad castra alliceret, — callidius, atque ob id ipsum, ni fallor, verius, quam quae Livius habet, quia semper res est summi periculi, militibus praecipere, ut inter pugnandum cedant. — Tum XXVI, 44, 6. Livius tumulum Mercurii nominat, quem Polybius neque hoc loco, X, 13, neque in accurata Carthaginis descriptione habet X, 10. Deinde Liv. XXVI, 44, 10—11 narratur, etiam ex navibus escensio esse facta; (quod Polybius non habet), sed additur, non multum hoc conatu esse effectum, perinde quasi scriptor monere velit, nequis miretur, ejus rei apud alios mentionem non fieri. Tum XXVI, 45, 2 Livius dicit, scalas breviores et infirmiores fuisse, quam quibus in moenia escendi potuisset, dum Polyb. X, 13, 6 habet, solam altitudinem muris munimento fuisse. Liv. XXVI, 45, 6 dicitur, aqua non solum aestu esse imminuta, sed septentrione etiam, qui stagnum eodem, quo aestus, tulisset. Nihil de hac re Polybius. Quae c. 47, 1—3 de numero captivorum aliter quam Pol. X, 17, 7 allata sunt, ea non persequor, quia errore codicum tali in re facillime diversitas oriri potuit, cfr. c. 49, 1—7. Qui apparatus belli, signa, ballistae, alia, capta sint, quae c. 47, 5—6 exponuntur, apud Polybium non sunt, aut exciderunt X, 12, 6; aut, quod mihi probabilius videtur, omnino non erant perscripta,

quia annales in his rebus enumerandis multi erant; Polybius autem non magni eas aestimat. (cfr. Nissen p. 105.) Sed apud Livium XXVI, 47, numerus auri argentique capti minor est, quam Polyb. X, 19, 2; atque hoc quidem loco nulla codicum culpa. Deinde L. XXVI, 47, 8 C. Flaminius, quaestor Scipionis commemoratur, cujus Polybius mentionem nunquam facit, quamquam saepius ταμίαν vocat. Quae Liv. XXVI, 48 de donatis coronis muralibus leguntur, apud Polybium non inveniuntur, atque a pragmatia omnino abesse debebant [14], ut nulli momenti ad belli eventum. Accedit, quod haec pars nominibus centurionum, tribunorum romanorum repleta est, in quae referenda Polybius non solet curam impendere. (Nissen p. 105.) Quae in capitibus 49—51 Livii insunt, Polybius quoque narrat, sed modo brevius modo accuratius exposita, modo prorsus aliter. (L. XXVI, 49, 10—16 = P. X, 18, 7. L. c. 49, 7—10 = P. X, 15, 1—6. Liv. XXVI, 50 = P. X, 19, 3—11.) Liv. c. 51. deest apud Polybium, sed eodem modo narratum esse, ex fragmento apparet P. X, 20.

Videmus igitur, multa inesse in Livii narratione, quae Polybius non affert; quae igitur ex eo conversa non esse possunt. Quo factum est, ut Lachmann II, 48 et Weissenborn in annotat. XXVI, 44, 6—9 Livium hoc loco putent, cum Polybio alios annales composuisse. Quod eum non facere solitum esse, cum Nissenius docuerit, in aperto est, eum Polybium hoc loco non sequi. Sed cum praeter hanc diversitatem non solum inter totam narrationem, verum etiam inter singula verba summus sit consensus, apparet, utrique communem esse fontem [15]. Non ignoramus quidem, apud om-

14) Pol. X, 11, 6—8 narrat quidem ante expugnationem urbis Scipionem χρυσοῦς στεφάνους promisisse, sed inde ad nostrum locum nihil sequitur. Nam rem ipsam poterat Polybius commemorare, sed altercationem in castris romanis ortam vix putandus est narravisse.

15) Firmatur sententia nostra Nissenii verbis p. 85. qui in libro XXI—XXII aeque ac in Scipionis expeditionibus communem fontem inveniri putat. Exempla similitudinis: L. XXVI, 44, 7 = P. X, 10, 4. 26, 45, 3 = X, 18, 3. 26, 45, 9 = X, 14, 11—12. 26, 46, 7—8 = X, 15, 8 et 7; 26, 49, 11 = X, 18, 1. 26, 51, 3—5 = X, 20, 1—3 alia.

nes scriptores, qui easdem res narrant, nonnulla congruere; sed hoc nisi nonnullis occasionibus casu quodam non invenietur; sin autem per longam capitum seriem eandem similitudinem, conjunctam cum nonnullis discrepantiis invenimus, non dubitabimus, communem fontem euis rei causam dicere, quo uterque suo modo usus est.

Res anno 208 in Hispania gestas Polybius in libro X narravit, cujus narrationis integra exstant capita 30—40; Livius eadem in libro XXVII, 17—20. Quae apud Polybium largius, apud Livium brevius exposita sunt[16]), ea non afferam, quia facile aliquis dicere possit, a Livio esse omissa; neque id moneam, Livium XXVII, 17, 7 non narrare, quod Polybium X, 38, 3; Scipionem ab Hispanis esse regem appellatum[17]); sed pugnam apud Baeculam factam breviter comparabo.

Narrat igitur Polybius, duces Carthaginiensium etiamtum discordes fuisse. X, 37, 2. Quare Hasdrubalem, cum per se non satis virium ad vincendum haberet, consilium cepisse, cum exercitu in Italiam proficiscendi, atque ideo castris communitis Scipionem exspectavisse. X, 37, 4. Castra deinde accurate describuntur: X, 38, 7—8. Scipio igitur cum advenisset, per biduum quietus sedit, munitissimum locum non aggredi ausus, donec, ne ab aliis ducibus Poenorum circumveniretur, proelium commisit. X, 38, 9—10. Legionibus igitur intra monumenta retentis, omnem levem armaturam emisit, quae frontem castrorum, quae inexpugnabilis videbatur, aggrederetur. X, 39, 1—3. In quam pugnam intenti cum hostes segnius copias castris educerent, Scipio ad laevam, Laelius ad dextram legionibus circumductis necopinantes, qui aciem nondum direxerant, a lateribus aggrediuntur. X, 39, 3—6. Illi autem extemplo cum Hasdrubale in fugam se dederunt, atque cum per obstantes velites non magno detrimento evasissent, Pyrenaeos petierunt. Itaque quae Hasdrubal sibi proposuerat, fere erant facta. —

16) Livius XXVII, 17 habet largius, quam Pol. X, 34; idem XXVII, 18 largius, quam P. X, 39.

17) Polybius similem rem bis tradit, X, 38 et 40; Livius semel. XXVII, 19, 6.

Livius contra ne hic quidem addit, duces Carthaginiensium, fuisse discordes, neque consilia Hasdrubalis novisse videtur, quae tanti sunt momenti, ut sua sponte omissa esse, nemo serio contendat. Narrat deinde, exercitus iter facientes sibi obviam venisse atque cum proelio commisso equites Poenorum vincerentur, ipsum Hasdrubalem ad castra communienda coactum esse; XXVII, 18, 3—4; cujus proelii gravitas more annalium augetur. XXVII, 18, 1—3 (cfr. Nissen p. 94) Descriptio situs castrorum c. 18, 5—7 prorsus alia est, quam apud Polybium [18]). Scipio autem duas cohortes mittit, alteram, quae fauces quasdam in tergo hostium, alteram, quae viam ad urbem Baeculam ferentem insideret, neque additur, quomodo factum sit, ut Poeni hunc dolum non senserint c. 18, 10. A fronte vero levem armaturam mittit, qui impigre subeunt, quae pugna ritu annalium optime describitur. c. 18, 10 14. Atque hi procursatores hostium pellunt, dum ipse Scipio eorum aciem instructam (XXVII, 18, 16—20 c. 19, 1.) a tergo atque a lateribus invadit, magnaque strage edita pauci casu quodam, ut videtur, effugiunt. (Nissen p. 94.) Nunc demum c. 19, 1 Livius dicit, Hasdrubalem Pyrenaeos petiisse, ac XXVII, 20, 4—8 demum de Hasdrubalis consilio in Italiam proficiscendi pauca audimus. (L. XXV, 32, 3 ubi de patre et avunculo Scipionis agitur, suo jure non commemoravi).

Narratio etiam, quae L. XXVII, 11, 8—12 de Massiva Numida inseritur, apud Polybium non exstat; sed jam Livius quoque Scipionis responsum narrat, cum a barbaris rex esset appellatus. Livius XXVII, 19, 3—8. = Polyb. X, 40, 2—5.

Videmus igitur, in pugna maxime describenda narrationes dissentire [19]), atque Livium quidem nonnulla addidisse,

---

18) Qualis situs castrorum apud Livium c. 18, 5 - 6 significetur, non prorsus perspicio; videtur quasi contabulatio quaedam duarum planitierum (Terrassen) indicari. Sed ne sic quidem, quae de inferiore planitie et de equitatu ibi posito narrantur, recte habere videntur.

19) Sane miretur aliquis, quod Lachm. II. p. 49 dicit: „valde discrepat Liv. a Polybio, quamquam ipsius pugnae descriptionem (?) ab eo accepit;" sed in hac descriptione quam maxime dissentiunt.

quae apud Polybium non leguntur. Id quoque apparet, Polybium omnia fere melius exponere, quam Livium; causas, consilia, internum rerum inter se nexum raro apud Livium invenimus. Sed praeter diversitatem illam in pugna narranda[20]) saepe inter utrumque tantus est consensus, ut casu factum esse vix credamus. L. XXVII, 19, 3—6 — P. X, 40, 2—5. L. XXVII, 17, 3 sq. — P. X, 34. 35, 7 alia.

Itaque ne hic quidem errare nobis videmur, si utrique communem fuisse fontem statuimus, quem Livius fere integrum recepit, sed Polybius correxit[21]).

Idem fere reperimus in libris Liv. XXVIII et Pol. XI. Saepissime enim sibi tam similes sunt, ut magnopere doleamus, tam pauca fragmenta polybiana exstare, quae comparari possint. Nihilo tamen secius nonnullae discrepantiae inveniuntur, quae summi momenti sunt. Livius igitur XXVIII, 12, 13—14. quinquaginta quattuor peditum milia Poenos habuisse dicit, additque alios septuaginta milia scribere, id quod Polybius XI, 20, 2 facit. Quem num Livius c. 12, 14 per „quidam scribunt," significare voluerit[22]), valde dubito Deinde L. XXVIII, 13, 13 Culchas in duodetriginta oppidis regnare dicitur, quod apud Polyb. non legitur. L. c. 13, 8 etiam expeditae cohortes et munitores cum equitibus Poenorum

20) Etiam quod Livius XXVII, 17, 8 per parenthesin addit, Laelium Roma rediisse, Polybius hoc loco non narrat, sed interest Laelius proelio apud Baeculam P. X, 39, 4.

21) Non alienum videtur, jam hoc loco in memoriam revocare, similitudines illas non posse inde explicari, quod Livius scriptorem aliquem secutus sit, qui ipse aut Polybium aut fontem ejus descripserat: Est enim haec ratio vere artificiosa quaedam atque vix putandum erit, tantas similitudines esse ortas, si per ambages uterque eundem scriptorem sequebatur.

Cfr. C. Peter, in programmate Portensi 1863. p. 11. Anm. aliter judicat: Nitzsch, v. Sybels historische Zeit. 1864. et qui eum sequitur: C. Boettcher, quaestiones criticae de fontibus Livii lib. XXI—XXII. Königsberg 1867.

22) Lachmann II p. 50 et Bujack, de Sileno scriptore Hannibalis p. 29 totum librum ex Polybio descriptum dicit; unde apparet, per totum librum unum fontem esse (paucis exceptis capitibus) sive Polybium, sive alium dicis.

pugnant, quod Pol. non habet. L. c. 13, 5 Scipio ad Baeculam urbem traditur progressus esse, quae non multum ab urbe Silpia (Ἴλιπα) videtur distare; sed Polybius nihil dicit, nisi ἐγγίσας δὲ τοῖς Καρχηδονίοις et XI, 20, 9 ante quam Carthaginiensibus appropinquasset, Scipionem ad Baeculam copias contraxisse. cfr. P. XI. 20, 5. Non satis accurate igitur Livius exposuit. Pugna apud Ilipam ab utroque eodem modo describitur, sed minus bene a Livio, qui hic quoque nonnulla habet a Polybio aliena: XXVIII, 14, 6 dicit, Scipionem vesperi tesseram per castra dedisse, Polybius XI, 22, 4: ἅμα τῷ φωτί. Liv. XXVIII, 15, 1 in acie Poenorum Baliares nominat, dicitque c. 15, 3 septima demum hora concurrsum esse; utrumque non habet Polybius. Ad extremum auctor Livii, cum non satis putaret, mediam aciem nudatam cornubus ob id ipsum cedere, (Pol. XI, 14) addendum censuit, elephantos effrenatos in mediam aciem se contulisse, ibique stragem edidisse, L. XXVIII, 15, 5, quod Polybius non affert.

A capite 24 libri XXVIII Liviani deinde iterum exstant fragmenta Polybiana, seditionem castrorum Sucronensium referentes. Atque cum in universum tota narratio apud utrumque scriptorem fere sit eadem, Livius pauca habet, quae a Polybio discrepant; ne de iis dicam, quae a Livio omissa esse aliquis dicere possit. Primum igitur Liv. XXVIII, 24, 3 Mandonium et Indibilem Lacetanorum populares fuisse dicit, quod non errore factum esse, inde apparet, quod XXVIII, 26, 7 idem Lacetani appellantur. Sed Mandonius et Indibilis semper sunt Ilergetum reges, et apud Pol. X., 18, 7 et apud Liv. XXII, 21, 3. XXVI, 49,1. XXIX, 1, 19. Itaque haec res non e Polybio orta est, nec levitati Livii debetur, quia bis repetitur [23]). — Deinde audimus, eos Celtiberos

23) Sed populares, non reguli Lacetanorum dicuntur; Ilergetes autem ab hac seditione non fuisse alienos, apparet ex Livio XXVIII, 31, 3. 32, 4. 32, 9. 33, 11. 34, 12; conjuncti nominantur cum Lacetanis c. 34, 4. Itaque neque error Livii neque ejus fontis, quem sequebatur, notandus est; sed ambo populi conjuncti desciverunt, ac primi, ni faller, Lacetani. Neque vero Livius XXVIII, 2, 4, 8 alium fontem usurpat, quam postea, nam semper cum Polybio consentit, qui nomina illa non

excitasse, Suessetanos, Lacetanos populasse, quos Polybius, ubi de hac re agit, non affert, P. XI, 26, 6 et omnino non saepe nominat.

Duces seditionis apud Liv. XXVIII, 24, 13, C. Albius Calenus, C. Atrius Umber nominantur; apud Polybium non exstant, fortasse exciderant, sed non sine aliqua veritatis specie contendi potest, eos in pragmatia locum omnino non habuisse. L. XXVIII, 26, 6 legimus, seditiosos milites sub occasum solis Carthaginem novam venisse, quod Pol. non habet; L. XXVIII, 26, 11 impedimenta quarta vigilia esse profecta, milites sub lucem signa movisse; sed Pol. XI, 27, ἅμα τῷ φωτὶ μετὰ τῆς παρασκευῆς ἐξάγειν. Cetera cum Polybio fere consentiunt, nisi quod ille XI, 30, 3 narrat, et Scipionem et ceteros duces juravisse, μηδένα μηδενὶ μνησικακήσειν quod Livius non annotavit. Ad extremum Liv. c. 38, 1 commemorat, Scipionem provinciam L. Lentulo et L. Manlio Acidino proconsulibus tradidisse, quod verum esse ex L. XXIX 2, 1. et XXIX, 13, 7 apparet, sed apud Polybium XI, 33, 7 legimus, eum provinciam τοῖς περὶ Μάρκον Ἰούνιον tradidisse.

Haec igitur ex utriusque scriptoris narratione de rebus in Hispania a Scipione gestis exstant, quae quidem comparari possunt. Paucitatem vero fragmentorum Polybianorum cum semper non sine dolore sentimus, tum in libro Livii XXVIII comparando, ubi summa inter scriptores intercedit congruentia [24]). Sed jam ex iis, quae comparavimus apparet, tantum consensum, qui tum maxime desinit, ubi Livius narrationi Polybianae aliquid addidisse videtur, nisi ex communi

---

habet. Quae similitudo cum utroque loco ex communi fonte orta sit, in eodem libro atque in eadem re duos fontes communes fuisse nemo contendet.

Etiam Weissenbornii dubitatio, num »Lacetani« XXVIII, 34, 9 recte habeat, altero illo loco c. 26, 7 removetur.

24) cfr. Li. XXVIII, 13, 9 = P. XI, 21, 5. L. XXVIII, 15, 6—9 = P. XI, 24. 7. L. XXVIII, 26 9—10. = P. XI, 27, 3—4. L. XXVIII, 25, 8 = P. XI, 25, 1. L. XXVIII, 26, 12—14. = P. XI, 27, 4—8. L. XXVIII, 29, 9—11 = P. XI, 30, 1—2 alia.

fonte oriri non potuisse, quem Livius totum descripsit, Polybius correxit.

Quod quo magis in aperto sit, nonnulla afferamus, quae apud Livium quidem leguntur, et cum propter paucitatem fragmentorum cum Polybio non possint conferri, tamen ab eo aliena putanda sunt, propter pragmatiae rationem historicam. Sic Liv. XXVIII, 21 narrat, a militibus Romanis ludos gladiatorios esse editos, ac fabellam de certamine Corbis et Orsuae, fratrum patruelium, inserit. Quae apud Polybium, ni fallor, aeque non legebantur, ac quae XXVI, 48; XXVI, 50; XXVII, 19 a Livio allata, a Polybio omissa sunt. — L. XXVIII, 36—38 et 46 expeditio Magonis in Baleares et in Ligures narratur; quae apud Polybium quidem sine dubio erat, sed vix tanta cum cura res vel minimas attulisse putandus est, sicut etiam P. III, 76 minores expeditiones omisit. —Etiam quae L. XXIX, 1, 19—3, 6 de rebus Hispaniae post Scipionem tradita sunt, si apud Polybium erant, certe non hoc loco, neque tam accurate perscripta erant, ne de eo dicam, quod in his capitibus multa insunt, quae a genere narrandi Polybii prorsus abhorrent. Quae in lib. XXVIII, 15, 14 — 16 apud Livium de transitione Attenis, regis Turdetanorum, narrantur, omisisse puto Polybium, sicut Aluccionem, Celtiberorum regem, a Liv. XXVI, 50 commemoratum non nominavit. Idem quadrat in Cerdubelum, qui Certulonem prodit L. XXVIII 20, 8—12.

Contemplantibus autem nobis, quidnam sit proprium narrationi Livianae et quomodo sese habeant, quae apud utrumque scriptorem communia legantur, apparet, in omnibus illis Scipionis expeditionibus narrandis nonnulla inesse, quae in unoquoque Livii libro a XXVI—XXVIII eodem modo inveniantur. Ac primum quidem quodcumque de rebus Hispaniae et Africae narratur, abundat nominibus regionum, urbium, regum, fluviorum, ita ut non modo a vulgari annalium ratione abhorreat, sed multa afferat, quae ne Polybius quidem habet. Sed si reputamus, quantum studium ille in terras peragrandas regionumque situs recognoscendos contulerit (fr. P. III, 48, 12. III, 59, 7. Plinius V 1, 1 alia), quam saepe in suae aetatis scriptores invehatur, quod ejus rei om-

nino immemores sint, (III, 36, 2. III, 47, 9. III, 59, 8. XII, 2—4) non dubitandum videtur, quin non multos fuisse putemus, qui opus accurata regionum cognitione percepta conscripserint. Neque magis annales, qui aut tempore Livii, aut ante eum scribebantur, exterarum terrarum erant periti. (cfr. Nissen 104—105) Italiae quidem accuratam cognitionem habebant, sed quae extra Italiae fines sita erant, prorsus ignorabant. Itaque cum in libris Livii XXVI—XXVIII et Polybii X—XI communem fontem invenerimus, cumque fons ille, id quod satis rarum erat, regionum aliarumque rerum sit peritissimus, statim ab initio aliquam veritatis speciem habemus, si non in unoquoque libro alium fontem, sed in omnibus eundem esse usurpatum dicimus.

Ac primum quidem fons ille rerum al hostibus gestarum accuratam habet cognitionem. In descriptione situs Carthaginis novae tumulum Mercurii nominati, quem Polybius non habet: L. XXVI, 44, 6 P. X, 10; Carthaginiensium stativa aliter indicat, quam hic (XXVII, 20, 6 = P. X, 7, 5) castra apud Baeculam aliter describit: L. XXVII, 18, 5—7 P. X, 38, 8, Deinde L. XXVIII, 2, 6—7 accurate describit genus pugnandi Hispanorum; L. XXVIII 3, 2 urbem Oropgin nominat, ejus regionem depingit addito, cives argenti metalla habuisse; L. XXVIII, 13, 3 de Culchante alia atque accuratiora quidem affert, quam Polybius; L. XXVIII, 15, 15 Attenem Turdetanorum regem commemorat, quamquam ille hoc uno loco occurrit; ib. 16, 2 Baetim flumen atque idem c. 22, 1 alio nomine Certim appellat; ib. c. 17, 5 Syphacem, Massaesulorum regem affert, atque in situ ejus regni describendo ad Hispaniae situm spectat; L. XXVIII, 20, 1 Cerdubelum Hispanum novit; ib. c. 21, 6—10 Corbis et Orsuae, fratrum patruelium, certamen de regno Ides memoriae tradit, L. XXVIII, 24, 4 Suessetanos, Lacetanos, Sedetanos distinguit; jam L. XXVI, 50 Aluccionem regulum affert, cujus nomen apud Polybium non legitur; L. XXVII, 19, 9 Massivam, puerum Numidam, Galae filium, sororis filium Massinissae commemorat, cujus Polybius mentionem omnino non facit. Idem Massiva XXVIII, 35, 8 affertur, ubi Massinissae fratris filium eum nominari, non satis causae est, cur cum Weissenbornio

in hoc libro alium fontem quam in lib. XXVI usurpatum putemus; sed Livianae levitati error, si quis est, debetur. L. XXVII, 36, 1 Senatus Carthaginiensium Magonem jubet cum exercitu in Italiam proficisci, unde apparet, fontem nostrum rationem, quae inter duces et magistratus Poenorum intercedebat, bene cognitam habuisse. ib. c. 37, 1 Cimbios, portum prope Gades nominat, suffetes Gaditanorum quaestoremque eorum commemorat, unde videmus, eum scivisse, coloniam Punicam, quae Gadibus erat, non aliter institutam fuisse, quam ipsam Carthaginem. Ad extremum L. XXVIII, 37, 4—5 Baleares Pithyusaeque non solum nominantur, sed describuntur, quantum inter se distent, affertur, qualia apud solum Polybium invenire solemus; deinde ib. c. 46 quae Mago in Liguribus gesserit, tanta nominum multitudine allata describuntur, ut omnia referre pigeat.

Itaque si autor noster, ut illa voce uti liceat, quae apud hostes gesta sint, optime scit, non minus bene, quae in castris romanis acciderint, exponit, unde certissime apparet, cum Polybius eadem fere non habeat, eum non Polybium sequi, sed sua cognitione uti. — Non solum igitur iisdem locis, quibus Polybius Silanum, Marcium, Laelium nominat, sed quaestorem quoque Scipionis L. Flaminium affert, de quo Polybius ne verbum quidem, L. XXVI, 19 cives a sociis latini nominis distinguuntur; quos Polybius nunquam discernit; Scipio, L. XXVIII, 14, 7 si quae imperat, talibus verbis facit, qualia in castris Romanis sonare solebant; L. XXVI, 48 coronae murales distribuuntur virorumque fortissimorum nomina ac certamen de iis ortum narrantur, L. XXVIII, 20 transfugae Afri in castris Romanis, et quae in urbe Astapa expugnanda fecerint, commemorantur, L. XXVIII, 24, 13. ib. 28, 8. ib. 29. 7 nomina principum seditionis in castris Sucronensibus factae habentur, alia.

Ex his igitur apparet, omnibus illis narrationibus Livianis nonnulla esse propria, quae nisi ex uno eodemque fonte dessumpta essent, satis mira viderentur. Sed accedunt alia. In unoquoque Livii libro vidimus communem esse fontem cum Polybio; quis igitur dicat, in unoquoque libro alium fontem, eumque communem usurpari? Quod si apud duos aetate

diversissimos scriptores factum esset, inter miracula et prodigia certe esset referendum; praesertim cum numerus fontium, quos uterque sequi poterat, satis parvus videatur fuisse. Tertium est, quod in posterioribus libris non ita raro loci inveniuntur, qui ad rem aliquam non magni momenti in prioribus libris vel praetereundo narratam respiciunt. Livius autem celeriter scribebat, atque adeo rerum paullo ante a se allatarum erat immemor[26]), ut non raro, aut alium fontem secutus, prorsus repugnantia adderet, aut eundem fontem retinens, nonnulla omitteret, quae addi debebant. Itaque si Livius XXVI, 51, 2 affert, Laelium a Scipione cum navibus, Magone aliisque captivis Romam nuntium victoriae missum esse, eumque XXVII, 17, 8 praeterundo Roma rediisse narrat; haec res, collata cum cetero consensu atque cum eo, quod in L. Scipione XXVIII, 4, 4 non tam accuratus est, nos movet, ut in his duobus locis eundem fontem usurpatum esse putemus. Simili modo Liv. XXVIII, 35, 6 Massinissa Scipioni gratias agit, quod fratris filium Massivam XXVII, 19, sibi remiserat; quod Livius XXVIII, 35 non sua memoria fretus apposuit, sed in fonte suo invenit. Iliturgitanorum scelus, quod in libro XXV, ubi narrandum fuisset, non allatum est, XXVIII, 19, 2 commemoratur; ad quam rem XXVIII, 25, 6 respicitur, quamquam neque magni momenti erat, neque accurate exposita. Liv. XXVIII, 23, 6 a Gadibus perfugae venisse dicuntur, urbem cum praesidio et classi se tradituros pollicentes; ad quam rem, tribus paragraphis expositam, non modo respicitur, sed XXVIII, 30, 4 additur, „sicut ante dictum est," itaque quis neget, haec ad eundem fontem pertinere? XXVIII, 1, 2 Hasdrubal Gisgonis ad Oceanum et Gades hibernat; XXVIII, 12, 13 a Gadibus regreditur. XXVIII, 31, 7 Mandonius et Indibilis initio seditionis in Sedetanis dicuntur stativa habuisse, quibus verbis apte respicitur ad LXXVIII, 24, 4. L. XXVIII, 31, 5 commemoratur »inchoata« jam

---

26) Sic 28, 4, 4 L. Scipionem Romam missum esse dicit, sed omisit, ejus reditum narrare; quare mirum est, quod eum 28, 17, 1 iterum Romam profectum esse audimus. Atque haec quidem ad unum fontem pertinent solaque Liv. incuria omissa sunt.

ante de Massinissa res, quippe qui XXVIII, 16, 11 cum Silano clam congressus esset. — Sed haec hactenus, quamquam ii loci, in quibus ad priores libros respicitur, sane augeri possunt. De rebus autem magis notis, nihil dicam; sed id monendum erit, in iis narrandis Livium sibi semper constare, quod si diversos fontes sequebatur, non semper accidere solebat [27]). Itaque cum in omnibus Livii libris a XXVI—XXVIII in rebus Hispaniae narrandis verba accuratius cum Polybio congruant, quam ut casu quodam factum dicere possimus; cumque similia et dissimilia interno nexu conjuncta, quasi unum corpus efficiant, non dubitabimus, in omnibus his libris unum fontem, eumque communem cum Polybio, usurpatum dicere.

Sed sane aliquis quaerat, num fons ille, quem tam accuratam regionum Hispaniae cognitionem habere demonstravimus, atque accuratiorem quidem, quam nunc in Polybio invenimus, ipso Polybio melior sit; num Polybius omnia, quae scribit, ei debeat. Quod non ita esse, rerum gestarum ratio indicat. Autor enim noster singulas pugnas et expeditiones non semper interno nexu conjunctas recenset, consilia imperatorum non semper affert, in proeliis describendis nonnunquam addit nonnulla, quae quomodo res gesta sit, minus bene exponant. Multitudo autem nominum talis est, ut in fabellis aut in iis rebus, quae ad ipsam narrationis perspicuitatem non multum valeant, maxime inveniatur, quare non raro suo jure a Polybio videntur omissa. Hic contra in consiliis imperatorum exponendis, in nexu causarum rerumque

Sed utrumque non recte. Coelius enim dicit: „*ipse*" regis etc.; neque dubitari potest, quin ille »ipse« Massinissa sit, quippe qui apud Appianum Lib. c. 26 Syphacem cepisse narretur. Sed Appianus quoque dicit: *τινά*, hominem ignotum, regis equum vulnerasse, postea autem Massinissam supervenisse et regem cum filio cepisse. Itaque ne Appianus quidem cum Coelio consentit; Livius autem omnium harum rerum prorsus est ignarus, immo legimus apud eum XXX, 12, 1 »Et vivus, laetum ante omnes Massinissae praebiturus spectaculum, ad Laelium pertrahitur.« Itaque, si Livio credis, Massinissa non solum Syphacem non cepit, sed ei capiendo ne interfuisse quidem videtur, et Syphacem tum demum aspicit, cum ad Laelium ducitur. Itaque hinc certe concludi nihil potest, neque magis ex altero fragmento (cfr. C. Peter l. l. p. 81) apud Nonium X. p. 508 »Coelius annali libro VII: »duos et septuaginta lictoris domum deportavisse fascis, quae ductoribus hostium ante soluerint ferri.« cfr. O. Meltzer. l. l. p. 23.

Quod conjungunt cum Liv. XXX, 28, 7: » non esse hodie tot fasces populi Romani, quot captas in caede imperatorum domum praeferre possit Hannibal.« Quibus in verbis nonnulla inesse similia, quis neget? Sed satis superque demonstratum est, leves illas similitudines esse fallaces; sententia autem sine dubio inter eas est referenda, quae

apud illius aetatis rhetores quam maxime tritae erant. Accedit, quod Liv. XXX, 28 ad fontem illum, de quo agimus, omnino non pertinet; itaque verba illa, etiamsi e Coelio desumpta essent, nihil ad rem. Sed accedunt alia testimonia, multo graviora, quae Coelium in omnibus his Scipionis expeditionibus Livii fontem non esse sinunt. H. Peter in libro, qui inscribitur: De fontibus Plutarchi in vitis Romanorum conscribendis. Halae. 1865. p. 52—53. 55—56 omnibus fere locis, qui in Livii decade tertia ad Fabium Maximum pertinent collatis atque cum Plutarcho comparatis demonstravit: Livio et Polybio[48]) et Plutarcho fontem fuisse communem rerum graecarum et romanarum pariter peritum ac latine scriptum. Cui homini docto de iis saltem partibus, quas ex decadis III Livianae libris posterioribus attulit, libentissime assentimur, ac maxime quidem de libro Livii XXIX, c. 6—9, et c. 16, 4—c. 22. In his enim supra verba graeca aliasque res ex graeco fonte desumptas inveneramus, itemque magnam rerum Romanarum peritiem. Haec igitur L. XXIX, c. 6—9; c. 16, 4—c. 22 Peterus ex L. Coelio Antipatro desumpta putat. Quod si verum est, (quod ego non dubito), quomodo tum expeditiones Scipionis in Hispaniam et Africam ex Coelio desumptae dici possunt? Inter illas enim et hanc de Plemminio narrationem quantum intersit, jam supra indicavimus. Nihil enim est in Scipionis expeditionibus, quod graecum autorem sapiat, nihil quod Fabianae parti eum favisse prodat. Illa autem, quae de Plemminio narrantur, optime cadunt in ea, quae a veteribus de genere scribendi Coeliano nobis tradita sunt. Scimus igitur, Coelium praeter ceteros fontes Sileno usum esse, (Cicero de divinatione I, 24, 49) invenimus autem verba graeca Liv. XXIX, 6—9; 16—22. Deinde fragmenta nos docent, eum somniis, miraculis, antiquitatibus aliisque illius generis rebus ad ipsam historiam non referendis annales exornasse cfr. fr. 42, 43, 44, 45, 46; 58, 61, 62, 40; 23, etc. ed. Meltzer; legimus

---

48) Miro quodam errore Polybium Peterus in hanc quaestionem intulit; Polybius enim propter aetatis rationem Coelio uti non potuit. cfr. M. Buchholz. Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii etc. usus sit.

autem apud Livium XXIX, 18, 3—7 narrationem de mira regis Pyrrhi morte propter spoliatum Proserpinae templum; et XXIX, 18, 16 miraculum quoddam, in bello Locrensium cum Crotoniensibus factum. Praeterea autem et Cicero (de orat. II, 12, 54 de legg. I, 2, 6 Brutus 26, 102) et ipsius Coelii fragmenta demonstrant, eum arte rhetorica annales expolivisse atque orationes addidisse. cfr. fr. 29; 27; 16. ed Meltzer. cfr. Léon de Closset, essai sur l'historiographie des Romains (annales des universités de Belgique 1847—48 p. 478—479). Apud Livium autem XXIX, 6—9, 16—22 intra pauca capita permultas orationes et rogationes leguntur: oratio Locrensium XXIX, 17—18; oratio Fabii XXIX, 19; oratio Metelli XXIX, 20, oratio praetoris XXIX, 21; oratio legatorum romanorum XXIX, 22, 4—6. Quod vero Cicero (de oratore II, 12, 54. de leg. I, 2, 6) Coelium vituperat, ut non satis perpolitum leni et aequabili tractu orationis viribusque agrestibus horridum, — inde fortasse orta est loquacitas illa, cum qua L. XXIX, 6 etc. fluunt. cfr. Weissenborn ad. XXIX, 6, 12.

Itaque si verum est, omnia, quae de Coelio nobis nota sunt, etiam apud Livium XXIX, 6. etc. inveniri, minus etiam fit verisimile, ei tantum autoritatis fuisse, ut Livius eum per magnam partem decadis tertiae sequi potuisset. Fabellas enim, somnia, miracula, quis in eo fonte reprehendat, quem in Scipionis expeditionibus usurpatum esse diximus? Non ita raro etiam Coelius a proposito videtur digressus, ut antiquitates, alia narrationi immisceret; (cfr. fr. 40, 58, 60, 61, 62. ed Meltzer. Léon de Closset l. l. p. 478) cujus rei in iis Livii partibus, de quibus nos agimus, nihil sane invenitur. — Sed etiam res falsissimas atque homini sobrio vix credendas Coelius afferre ausus est, quare jam lib. XXI, 47 Livius eum refutat, ut fabulantem. cfr. fr. 49 ed Meltzer. Quod magis etiam apparet ex Livii libr. XXIX, 25 et XXIX, 27 ubi Livius Coelii verba cum ironia affert atque maxime illud: »Volucres ad terram delapsos clamore militum.« cfr. fr. 55—56. Meltzerus annotat, se non intelligere, quomodo Coelius talia potuerit narrare, quod sane in Meltzero non est mirum, quippe qui Coelium summae fidei putet autorem.

Sed haec ipsa fragmenta indicant, quae scripserat, fuisse κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς πλήρη; atque utut de Coelio judicamus, eum in Scipionis expeditionibus non fuisse Livii fontem. Accedunt alia. Videramus supra, fontem Livii de quo agimus, eo maxime ab annalibus differri, quod rerum geographicarum sit peritus atque in omni narratione ad eos respiciat. Quod non item in Coelio fuisse videtur. Jam Nauta (annales academiae Lugd. Batav 1820—21) p. 17 annotat, eum regionum parum videri peritum; quod maxime apparet ex Liv. XXI, 47, 4—6, ubi inscientia regionis falsa affert atque a Livio, qui ut Patavinus, ejus regionis erat peritissimus, corrigitur. Etiam quae lib. XXVI, 11, 10—11 Coelius de itinere Hannibalis a Capua ad Romam facto tradidisse dicitur, satis mira sunt, sive Hannibalem iisse, sive rediisse hac via dicimus; indicant certe, Coelium accurate fortasse haec perscripsisse, sed non satis recte. cfr. Groen van Prinsterer (annales academ. Lug. — Bat. 1820—21) p. 54 55. cui assentitur F. Lachmannus II, 48. Deinde vero, quae Coelius de Scipionis transitu in Africam dixit, satis mira sunt. Scimus enim, Scipionem cum Emporia peteret, vento Uticam delatum esse. Coelius autem Liv. XXIX, 27, 15 habet: »abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum.« Sed primum, qui dici possit classis ab Africa ad Aegimurum abripi, non perspicitur, cum insula Aegimurus (cfr. Liv. XXX, 24, 9) in conspectu Carthaginis sita sit; tum vero verba »correctum cursum« indicant, Scipionem tandem quo voluisset, pervenisse; quod falsum est. Quae omnia si contemplamur, confitendum erit, Coelium ne in rebus geographicis quidem satis certum fontem fuisse.

Sed cohaeret cum hac quaestione altera. Ii enim homines docti, qui magnam decadis tertiae partem ad Coelium referendam esse putabant, hunc scriptorem ideo permagni aestimabant, quod Silenum, quem optimum fontem dicebant, secutus esset. Similitudo autem Livii et Polybii inde orta esse credebatur, quod Livius Coelium; Coelius et Polybius Silenum usurpassent. cfr.: Nitzsch, v. Sybel's historische Zeitschrift 1864. p. 20—21. Museum rhenanum XXIII, p.

603 ff., cujus sententiam magis explanavit: C. Böttcher quaest. criticae de fontibus Livii libr. XXI—XXII. Regimonti 1867, diss. inaug. — Atque cum in universum negari non possit, multa Graeca fuisse in Coelio, tamen ille tantum abfuit, ut Silenum ad verbum sequeretur, (cfr. Nitsch. v. Sybel. Zeit. l. l. p. 21) ut varios fontes admittere non dubitaret. Nitzschii vero sententia maxime nititur in loco Cicer. de div. I, 24, 49: »Hoc item in Sileni, quem Coelius sequitur, graeca historia est — is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est.« Solus Meltzerus de Coelio Antipatro p. 28 ad hunc locum adnotat, nihil nos cogere, ut verba »quem Coelius sequitur,« ad totum Coelii opus referenda putemus; ceteri omnes inde concludunt, Coelium semper quam maxime ad Silenum se applicuisse. cfr. Nitzsch, in museo rhenano l. l. p. 607. C. Peter, über die Quellen des XXI—XXII Buches des Livius p. 75. Bujack, de Sileno scriptore Hannibalis p. 5. Léon de Closset, essai sur l'historiographie des Romains. p. 478. alii.

Sed huic loco Ciceroniano opponendi sunt alii. Dionysius Halic. I. p. 64 habet: *Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιος Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν κ. τ. λ.*, unde jam Nauta l. l. p. 16 dicit, probabile fieri, Coelium etiam Fabio usum esse. Deinde Cicero de divin. I, 26, 55 testatur, Coelium cum Cn. Gellio et Fabio quam maxime consentire; res autem, quam Cicero affert, demonstrat Coelium aut Fabio aut fonte cum illo communi usum esse, qui certo Silenus non esse potuit. Sed nimis haec antiqua; ipsius Hannibalis res gestas videamus. Gellius igitur X, 24, 6—7 ex Coelio tradidit verba notissima Maharbalis post pugnam Cannensem, addito: »et historiam autem et verbum sumpsit ex origine M. Catonis.« cfr. Léon de Closset, p. 480—481.

Itaque certissimis testimoniis comprobatum est, Coelium complures fontes usurpasse; qua re cognita ei disputationi omne fundamentum tollitur, quae quidquid apud Livium e Coelio desumptum videtur, ad Silenum pertinere dicit. Nuperrime autem C. Boettcher (quaestiones criticae de

T. Livii libri XXI—XXII fontibus p. 10 — 13) nonnulla sibi videtur invenisse, quae Silenum fontem principalem Polybii in libro III. fuisse demonstrent. Dicit igitur, p. 10, nonnullas res apud Polybium tam accurate narratas esse, ut necessario ad testem oculatum pertinere debeant; Hannibalem autem semper primas partes agere apud Polybium; secundas tantum Romanos. Quare fontem Polybii esse testem oculatum eumque Poenum, id est Silenum. — Quae si vera essent, ex mea certe sententia nihil aliud demonstrarent, nisi a Polybio aut ejus fonte Hannibalem quasi omnium rerum cardinem descriptum esse; ut vero de fonte punico cogitemus, nihil nos cogit. Silenus autem sine dubio in omni narratione magis, quam probum historicum decet, Hannibali favit; cujus rei apud Polybium ne minima quidem pars est.

Fuit igitur Silenus in castris Hannibalis, quam diu fortuna passa est (cfr. Nepos Hannibal c. 13, 3) idemque Cicerone teste diligentissime res Hannibalis persecutus est; (de div. I, 24, 49) quibus verbis nihil nisi scriptoris diligentiam significari, recte Peterus l. l. p. 75 monuit. Itaque, si Silenus Hannibale familiariter usus est, non dubitandum erit, quin aeque ac Philinus (cfr. Polyb. I, 14) Carthaginiensium partibus nimis indulserit, quod in plerisque ejus aetatis scriptoribus aliquis reprehendat. Quae cum ita sint, sane nos decet, ut ad unum illum locum attendamus animum, ubi Livius Silenum affert: lib. XXVI, 49. »scorpiones majores minoresque ad LX. captos scripserim, si autorem Graecum sequar Silenum; si Valerium Antiatem, majorum scorpionum sex milia, minorum decem tria milia: adeo nullus mentiendi modus est.« Hoc igitur loco numerus LX. scorpionum, quem Silenus attulit, parum videtur probabilis in urbe florentissima, quae per tot annos Barcidarum armamentarium fuit, Carthagine nova; maxime autem comparantibus cum eo, quem Livius ipse XXVI 47 sequitur: catapultae maximae 120; minores 281; ballistae majores 23; minores 52; scorpionum vero tanta multitudo, quanta numerari vix potuit. (cfr. Pol. X, 19.) Itaque non sine aliqua veritatis specie dici possit, verba a Livio addita: »adeo nullus mentiendi modus est,« ad Silenum aeque pertinere atque ad Antiatem; nam ille

nimis diminuit, hic nimis auxit numerum. Potuit quidem numerus Sileni corruptus esse; sed id in aperto est, eum fuisse omnium, quos Livius traditos reperiebat, longe minimum, cum Valerii numero, maximo quem reperiebat, opponatur. Quare ex hoc uno loco, ubi Sileni nomen apud Livium est, certissime concludi debet, eum in rebus Hannibalis narrandis a veritate nimis recessisse; quod ei opprobrio vetere nemo cupiet, cum hoc vitium omnibus ejus aetatis scriptoribus commune sit, ut partibus suis nimis faveant. Sed jam inde apparet, res a Scipione in Hispania et in Africa gestas, quales a Polybio et Livio narrantur, ad ejusmodi fontem referri non posse. Consentit autem nobiscum Bujack l. l. p. 7—8, qui Silenum laudatorem Hannibalis dixit[44]).

Quae sententia magis etiam eo confirmatur, quod Coelium fabellis abundare vidimus. Qui si in magna historiarum parte Silenum sequebatur, certe fabularum illarum multitudinem ex Sileno hausit, id quod Cicero de divin. I, 24, 49 testatur. Quae cum ita sint, non sine causa C. Peter (Quellen des Livius p. 75) videtur exposuisse, non multum inter Chaereae et Sosili opus interesse et Silenum.

Accedunt alia. G. Bujack, (de Sileno, scriptore Hannibalis p. 32) collatis Cornelio Nepote (vita Hannib. c. 3) et Cassio Dione (ed Becker I, p. 56, 10.), quos multa ex Sileno hausisse putat, utrumque nonnullas res afferre vidit, quas Polybius ut falsas refutat. P. III, 47—48; maxime III, 48, 6. Itaque si Appianus, Nepos, Cassius ex Sileno falsa hauserunt atque si Polybius in Silenum, quamquam nomine non allato invehitur, omnes concedent, ejus historias non semper magni pretii fuisse. —

Idem Bujack p. 29 sibi videtur demonstrasse Appianum in Annibiacis minime, magis in Hibericis, maxime in Libycis Sileno fonte usum esse. Quod si verum est, id quod nunc non quaeritur, certe inde apparet, Silenum neque Livii neque Polybii fontem esse. Nam etiamsi Appianus non omnia ex Sileno desumpsisse putandus est, tamen ubique et

---

44) Cfr. quae in ephemeride »philologischer Anzeiger,« ab E. de Leutsch una cum Philologo edita, exposuimus. Nr. 2; p. 55 ff.

in omni historiarum parte tot, tantisque vitiis laborat, (cfr. Bujack p. 24. ann. 3) ut bellum Punicum secundum ab eo ex bono autore non haustum esse appareat.

Sed haec hactenus; quamquam nonnulla addi possunt. Id certe apparet, Silenum neque Polybii neque Livii esse fontem, quod apud Livium jam inde sequitur, quod in iis partibus, de quibus nos agimus, neque verba neque sententiae graecae inveniuntur. cfr. Nitzsch, in museo rhenano. XXIII p. 605.

Jam igitur restat, ut de Nitzschii sententia dicamus, quam ille nuperrime in museo rhenano XXIII, p. 603 sq. proposuit, quamquam omnia adumbravit magis, quam demonstravit. Negat igitur nobiscum homo doctissimus, Coelium in posterioribus decadis tertiae partibus esse Livii fontem; sed dicit, Livium in his libris multa ex Valerio Antiate desumpsisse; consensum vero Livii et Polybii inde ortum esse, quod Valerius Polybii pragmatiam secutus sit. Quam sententiam eo confirmari, quod in nonnullis locis expeditionis in Africam maxime, post enarratum proelium aliquod capta signa recenseantur, quae afferre unius Valerii moris fuerit. —

Sed liceat nobis, paullo aliter de his rebus sentire. Ac primum quidem, cum Nitzschius non satis indicet, quibusnam in libris et locis Livii Valerium usurpatum putet, (si p. 605, ann. 9 spectes, eum a libro XXIII incipere opineris) sed in universum de »posterioribus libris« agat, — nos causa extrinsecus petita, a libro XXV decadem dividamus. — Dicit igitur Nitzschius p. 604 in posterioribus libris Valerium saepius nominari, rarius alios scriptores. Atque in universum quidem Valerius in decade tertia septies affertur. XXV, 39, 14. XXVI, 49, 3—4. XXVIII, 46, 14. XXIX, 35, 2. XXX, 3, 6. XXX, 19, 11. XXX, 29, 6; Coelius Antipater autem novies affertur: XXI, 38, 6; XXI, 46, 10. XXI, 47, 4. XXII, 31, 8. XXIII, 6, 8. XXVI, 11, 10. XXVIII, 46, 14. XXIX, 27, 13; XXIX, 35, 2. Sed in libro XXX Valerius ter nominatur, Coelius nunquam; videamus igitur, qualia sint, quae ex Valerio mutuatus est. Liv. XXX, 3, 6. Antias dicit, ipsum Syphacem in castra Scipionis venisse, quod mendacium esse nemo negat; XXX, 19, 11 idem narrat, in parvo proelio 5000

hostium caesa esse, quod impudenter fictum esse ipse Livius dicit. XXX, 29, 6 Valerius tradidit, Hannibalem a Scipione proelio victum, in quo 12,000 hominum caesa essent, legatum cum 10 aliis in castra Scipionis venisse; quod non minus impudenter fictum videmus esse. Habemus igitur intra pauca capita tres res, quarum unam ut non verisimilem Livius praetereundo affert, alteram se non credere ait, tertiam impudenter fictam dicit — quis itaque serio condentat, eum in his ipsis capitibus talem autorem, quem »impudentem« dicit, maxime secutum esse? Atque hoc quidem loco in memoriam erit revocandum, Livium per omnes decades nunquam Antiatem ut hominem bonae fidei afferre, sed semper tales res ab eo traditas commemorare, ut expeditionem bene ac dilucide narratam ex eo haustam esse vix quisquam putet. —

Deinde vero Nitzschius p. 605 addidit, solum Antiatem signa in proeliis capta enumeravisse, quod in libro XXX saepius, in libris XXI—XXII nunquam inveniatur. Itaque omnes locos Livii, in quibus signa capta leguntur, ad Valerium esse referendos. — Sed primum nulla causa excogitari poterit, cur ceteri annalistae libris magistratuum inspectis signa capta in opus suum inserere noluerint? Quod XXX, 30, 6. et. 35 et 36 signa afferuntur, in libris XXI—XXII autem non leguntur, nihil aliud inde apparet, nisi fontem, quem Livius in his libris sequebatur, talia non habuisse. Sed Nitzschium erravisse unus locus Livii demonstrat. L. XXVI, 47, 6—8 Carthagine nova capta ingens apparatus belli recensetur, et *signa militaria* LXXIV; quem numerum in tanta urbe nemo nimium dicet. Hunc autem locum, quem Nitzschius omisit, non ex Valerio sumptum esse, L. XXVI, 49, 5 demonstrat, ubi Antias inter eos nominatur, qui aliter quam Livius totam rem narraverant; maxime quod Antias Arinen punico praesidio praefuisse dixerat; Livius Magonem. —

Etiam numerus tormentorum captorum, quem Livius sequitur, a Valerio diversus est. Quae cum ita sint, certissime constat, ex illis signis captis nihil condudi posse, cum complures scriptores ea referant[45]).

45) Haec quoque aliquo modo sibi repugnant: Nitzsch. l. l. p. 600:

Sed accedunt alia. Nitzschius putat, Valerium Polybio usum esse; Livium Valerio; unde factum esse, ut in posterioribus decadis tertiae partibus Livius ad verbum fere cum Polybio consentiat. Quod omnibus in locis atque in unoquoque scriptore vix credendum esse, jam C. Peter de fontibus libr. XXI—XXII Liv. p. 3. p. 11 dixit. Quanto minus vero credendum erit in Valerio Antiate! Qui si Polybium secutus esset, facere non potuisset, quin multa ejus generis, sicut L. XXX, 3, 6. XXX, 19, 11. XXX, 29, 6. XXV, 39. XXXVIII, 23. etc. addidisset; neque ullo modo tantus consensus inter Livium et Polybium potuisset existere, praesertim cum Livius ipse quoque verba saltem fontis sui paullum mutare solebat. Deinde vero, quam maxime est dubium, num Valerius pro suo scribendi genere Polybium omnino potuerit usurpare; nam sine dubio ille non referendus est inter autores populo gratos.

Itaque cum nullum certum testimonium exstet, quo Valerium Polybio esse usum indicetur, sed Livius aliique scriptores ei saepius exprobrent, quod historicis, quae dicuntur, testimoniis fidem non habuerit, (cfr. Krause, vitae et fragmente veterum historicorum Romanorum. Berolini 1833. p. 268) nemo certe affirmare poterit, eum Polybii pragmatiam esse secutum. — Quibus dictis id mihi apparere videtur, non magnum fructum ad nostram quaestionem rediisse ex iis, quae ceteri de fontibus libr. XXVI—XXX scripserunt; ni fallor ob eam maxime causam, quod semper fere a libris XXI—XXII exibant. Itaque si exponere conamur, quid nobis de communi illo fonte Livii et Polybii videatur, primum erit statuendum, non refugi posse ad ignotos scriptores, quorum autoritas aut dubia aut merito suspecta est. Tantum enim inter Livium et Polybium vidimus existere consensum, et rerum et verborum, ut nisi ex bono autore ad quem ne Polybio quidem permulta erant addenda, narrationes non esse haustas putaremus. Quare non minus quam Silenum

---

Das namentliche Citat beweist nichts für die Benutzung der Stelle, wo es sich findet, idem p. 608. sed p. 604. Auf die Herkunft dieser Stücke müssen uns die am meisten citirten Autoren namen führen.

etiam Sosilum, Chaeream, (cfr. Polyb. III, 20. Cor. Nepos, vita Hannibalis c. XIII.) ignotos illos Xenophontes (cfr. Diogenes Laert. II, 59. Suidas. s. v. Xen. C. Müller, fragm. histor. graec. t. III; p. 101—102) Eumachum (cfr. Athenaeus XII p. 577 A. C. Müller, ibid. p. 102) rejicimus. Quo facto parvus est numerus eorum, qui nobis restant, qui quo longius a belli Punici secundi temporibus recedimus, eo magis semper diminuitur. (cfr. Nitzsch, in mus. rhenan. XXIII. p. 607.) Atque eorum quidem, qui ante Polybium scripserunt, de L. Cincio Alimento parum constat; (cfr. A. Krause, vitae et fragmenta. vet. hist. p. 63—83) quare omnem de eo disputationem ab hoc loco removemus[46]). Neque magis Q. Fabium Pictorem, qui unus restat, Livii libr. XXVI—XXX et Polybii fontem puto. (cfr. C. Müller, frg. hist. III, p. 89—91.) Etenim prorsus nescimus, quo anno desierint ejus annales, et num bellum punicum usque ad finem narraverit. (cfr. A. Krause l. l. p. 41 ff.) Deinde vero, ut est Fabius antiquissimus annalista, quamquam Livii librorum XXI—XXII magnam partem ex eo desumptam putamus[47]); tamen dubitandum erit num res tam remotas, quae in Africa et Hispania gestae erant, non solum tam dilucide, sed tanta regionum locorumque cognitione adhibita conscribere potuerit. — Sed quod maximum est, summum discrimen intercedit inter narrationem librorum XXI—XXII et earum partium libr. XXVI—XXX, de quibus nos agimus. Primum

46) Theo. Pluess, de Cinciis rer. Rom. scriptor. Bonn 1865. continet causam cur Th. Mommsen, röm. Geschichte I, p. 937. L. Cincii Alimenti opus „ein Machwerk aus augustueischer Zeit" nominet; cfr. Neues schweiz. Mus. 1866.

47) Iiis rebus, quas C. Peter die Quellen des XXI—XXII. Buches p. 55 ff. attulit, nondum depulsus sum de ea sententia, quin Fabium fontem communem putem. Cfr. H. Peter, die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreib. der R. p. 55—56. C. Boettcher, de Livii libri XXI—XXII fontibus. Nam si Polybii fons testis oculatus erat, Sosilus afferri potest, qui in eodem honore, quo Silenus, in Hannibalis castris fuit; (cfr. Corn. Nepos Hannibal. XIII) et Cincius Alimentus. cfr. Livius XXI, 38. cfr. etiam, quae Magnus Buchholz disputavit: Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit. Gryphs. 1865: et Nissenium, qui nobiscum facit: Kritische Untersuchungen; p. 102 etc.

enim supra demonstravimus, omnes illas expeditiones Scipionis ad unum fontem pertinere, in quo nihil inveniatur, quod iis, quae antecedunt, repugnet, sed semper ad antecedentia respiciatur, omniaque uno tenore, ut ajunt, perscripta sint. Contra libri XXI—XXII diversis locis tam diversam autoritatem prae se ferunt, ut permultas fontes in eos collatos putarent. cfr. Lachmann, II, 29, 33; 35; 37; 46. etc. Quare Nitzschius ad eam sententiam pervenit, ut Fabium, quem olim fontem horum librorum putabat, nihil nisi pugnas nonnullas conscripsisse diceret. (Q. Fabius Pictor, über die ersten Jahre des hannibalischen Krieges; allgem. Monatschr. f. Wiss. w. Lit. Kiel 1854. v. Sybels historische Zeitschrift. 1864. Bd. 11. p. 20.) Deinde vero fabellis, dictis, prodigiis tota narratio exornata est; sicut XXI, 22, 6 somnium Hannibalis; XXI, 37, 1—4, acetum ad rupes putrefaciendas; XXI, 53, 3—6; XXI, 54, 3—5: colloquia Scipionis et Sempronii, Magonis et Hannibalis; XXI, c. 58 mirum illud iter Hannibalis in Apeninum; XXI, c. 62 prodigia; XXII, 1, 8 iterum prodigia, et XXII, 3, 10 prodigia in Flaminii castris; deinde, ne plura afferamus, quae XXII, 50—52 post pugnam Cannensem facta legimus. — Fons igitur librorum XXI—XXII abundat omnibus rebus, quibus tum historias exornari putabant: orationibus, dictis, prodigiis etc. Etiam proelia poetica quadam ratione describuntur, singulis ducibus non solum rationis bellicae, sed certaminis quoque principibus factis; sicut Scipione, Flaminio, Aemilio Paulo aliis. — Sed nihil harum rerum omnium invenitur in fonte expeditionum Scipionis XXVI—XXX; proelia satis dilucide, nullo poetico apparatu adhibito describuntur, quod maxime apparet, si pugnam Zamensem Cannensi opponis. In hac enim Livii ars rhetorica (aut ejus fontis) copiarum distributionem, locorum situm, quasi obscuravit; in illa omnia sane et jejune exposita, quam maxime cum Polybio consentiunt. Res mirabiles vero adeo nullae sunt, ut in Hispania et Africa omnino videantur non accidisse, quamquam et ex Livio XXVI, 19, 6—9; et ex Appiano Hiberica c. 21—22 concludi debet, satis multa mirabilia de Scipione potuisse narrari [48]. cfr.

48) Hartung, Religion der Römer. Bd. I. p. 250—251.

Polyb. X, 3, 12. Haec igitur pauditas jam satis indicat, fontem libr. XXI—XXII ab expeditionibus Scipionis esse aliquo modo diversum, quod jam Nitzschius, quamquam alio modo dixit. (in museo rhenan. XXIII. p. 604—605.) —

Sed si pergimus in Livii fonte, quo in Scipionis rebus usus est, contemplando, eum sine dubio fuisse latinum invenimus. Quod non solum in scriptore Latino verisimile est et non modo inde apparet, quod graecis verbis caret, sed certis testimoniis comprobatur. Supra igitur vidimus, solum Livium in pugna Zamensi legionem Macedonicam nominare; XXX, 33, 6. Sed constat, Macedones, si qui apud Hannibalem erant, injussu Philippi militasse; Romani autem Philippo objiciebant, eum milites misisse, neque veritatem hujus criminationis demonstrare poterant. Itaque apud annalistas, qui Liv. XXX, 26, 8 et XXX, 42 conscripserunt, hanc legionem commemoratam videmus; apposito XXXI, 26, 3: socios populi Romani, id est, inimicos Philippi, hoc renuntiavisse. Qui nuntius, cum non vera afferret et ab hostibus Philippi oreretur, apud auctores in Philippum infensos maxime et legebatur et repetebatur; id est, apud Romanos. Etiam illud, quod XXX, 36, 3 „legio Macedonum" dicitur, addito 4000 homines fuisse, qui numerus legioni fere est par, (XXX, 42, 7) suspicionem movet, Romanum esse fontem; nam phalanx Macedonica ex manipulis componebatur, quorum unusquisque 1000 fere homines erant. (cfr. Köchly u. Rüstow, griechisches Heerwesen. p. 236.)

Infra vero XXX, 37, 8 legimus: „pars exercitus cum omni equitatu *Saturnalibus primis* agmen (Verminae) aggressa, —" victoria igitur de Vermina reportata non praetereundo, sed ita, ut a tota narratione separari nequeat, ad prima Saturnalia refertur; quod apud quem alium, nisi apud scriptorem Romanum legeremus? Idem quadrat in XXX, 33, 2, ubi dicitur: „Laelium — cujus ante legati, eo anno quaestoris extra sortem ex senatus consulto utebatur auxilio — Scipio opposuit;" quae quis tam accurate exponeret, nisi scriptor Romanus? Accedit, quod nomina regionum et locorum saepe non talia habet, qualia apud incolas esse debebant, sed in formam latinam redacta. Sic XXVI, 44, 6 tumulus Mercurii,

XXVIII, 22, 1 flumen Baetis, addito incolas Certim id appellare; XXX, 24, 8 et 10 promontorium Apollinis et Calidas Aquas; XXX, 8, 3 Campos magnos alia. Etiam illud commemorare liceat, fontem nostrum et numerum et nomen legionum noscere, (quod nisi in scriptore Romano vix umquam inveniemus,) civiumque Romanorum legiones a sociis latinis et sociis navalibus distinguere. XXIX, 24, 11. XXIX, 24, 13. XXVI, 17, 1. XXVI, 19, 10. XXVI, 41, 2. XXVI, 48, 1; et 48, 3; XXVIII, 34, 1 etc.

Porro tota narratio Scipioni aliquo modo favet; quod cum non solum in Livio, sed etiam in Polybio inveniatur, certe etiam in communi illo fonte erat. — Omnibus igitur notum est, in Scipionis belli gerendi ratione nonnulla fuisse, quae aliquis ei opprobrio vetere potuisset. Ac primum quidem summae erat audaciae, ubi in Hispaniam venit, extemplo ipsam Carthaginem novam aggredi, neglectis Poenorum exercitibus. Quae res si non primo statim impetu successisset, ad summum periculum eum redigere potuisset. (cfr. U. Becker, De bello punico secundo etc. p. 126. Th. Mommsen, hist. Rom. I. p. 642.) Sed haec leviora atque ipso eventu sancita; illud vero non erit omittendum, quod Scipio cum Hasdrubale, e manibus emisso ipsam urbem evertisse videretur, proficiscentem morari ne conatus quidem est. L. XXVII, 20, 1. cfr. annot. Weissenb. Mommsen, I, 643. U. Becker, l. l. p. 136—137. Deinde vero ducem, in quo omnium rerum summa posita erat, non decebat, quasi vagantem cum duabus navibus in terras hostium ignotorum proficisci; cfr. Liv. XXVIII, 17, 12. Mommsen I, 644. Becker. l. l.

Etiam disciplinam non semper satis severam servasse videtur; cfr. Liv. XXVI, 48, 11—12. XXVIII, 25, 8. — Quae omnia vituperanda esse, non nostrae aetatis homines primi viderunt, sed inimici Scipionis optime perspexerunt neque dubitaverunt, ei opprobrio vertere. Acerbissime Q. Fabius XXVIII, 42, 4—5. c. 42, 14 totam Scipionis belli gerendi rationem vituperat. Etiam seditio castrorum Sucronen-

sium Scipioni aliquo modo crimini dabatur. cfr. Llv. XXIX, 19, 4. XXIX, 19, 11. „natum eum ad corrumpendam disciplinam militarem —“ „externo et regio more et indulgere licentiae militum et saevire in eos.“ — Talia igitur habet fons, quem a nostro diversum et Scipioni infestum supra diximus; autor autem ille, cui Scipionis expeditiones debentur, haec non modo non habet, sed semper Scipionem summis laudibus effert, neque ita raro iis in rebus, quae ei ab inimicis maxime crimini tribuebantur; sicut de audacissima illa in Africam expeditione: Liv. XXVIII, 17, 1—3. XXVIII, 18, 6—10. cfr. XXVI, 19, 3. XXVII, 19, 6—7. XXVIII, 35, 6. Si fonti nostro credis, etiam quod Scipio Liv. XXIX, 35 ad id angustiarum redactus est, ut in promontorio Africae castra poneret, nulla re nisi vallo et navibus tutus, non propter bellum infeliciter gestum, sed ipsius Scipionis consilio factum videtur. XXIX, 35, 12 ff. — Etiam dolus ille, haud sane laudandus, quo contra Syphacem utitur, XXX, 4, crimini non datus est Scipioni, quamquam fieri posse et factum esse Liv. XXX, 4, 10 indicat „tollit indutias, ut *libera fide* incepta exsequeretur. —“ Quod non solum in Livio, sed magis etiam in Polybio invenitur. Qui cum saepius narrasset, Hasdrubalem, sibi iter in Italiam patefacturum, (Pol. X, 37, 1—6) pugnamque ad Baeculam sic descripsisset, ut Hasdrubal, quae sibi proposuerat, videretur esse assecutus, (Pol. X, 38, 8. 39, 7 sq.) (quod utrumque Livius non habet,) ex quo sane concludi debet, eum quid in Scipionis bellandi ratione vituperandum esset, bene cognitum habuisse — tamen ob has res Scipionem non vituperat, sed quae post pugnam facta sunt, eodem modo quo Livius narrat. cfr. U. Becker, Vorarbeiten p. 137. — Immo ubi Livius XXX, 4 timuisse videtur, num salva fide Scipio egerit, eum summis laudibus cumulat: Poly. XIV, 5, 15. *Ἡ καὶ πολλῶν καὶ καλῶν διειργασμένων Σκιπίωνι, κάλλιστόν εἶναι μοι δοκεῖ τοῦτο τοὔργον καὶ παραβαλώτατον τῶν ἐκείνῳ πεπραγμένων.* Itaque hinc quoque, quod narratio Livii et Polybii Scipioni favet, opinio nostra firmatur, fontem eorum fuisse latinum. —

Sed idem fons nonnulla affert, quae nisi qui ipse rebus gerendis interfuit et in castris Scipionis versatus est, vix

potuit narrare. Jam supra vidimus, eum nomina gentium, regionum, regulorum optime scire, atque quae in castris romanis acta essent bene exponere. Sed idem fons L. XXVI—XXX saepius commemorat vultum habitumque Scipionis cultumque ejus describit. Sicut L. XXVIII, 26, 14. „Nihil aeque eos terruit, quam praeter spem robur et colos imperatoris, quem adfectum visuros crediderant, vultusque, qualem ne in acie quidem ajebant meminisse.“ Eadem Polyb. XI, 27, 8. „*Ἔτι γὰρ ὑπολαμβάνοντες αὐτὸν ἀσθενῶς ἔχειν ὁι πολλοί, κἄπειτα παρὰ τήν προσδοκίαν αἰφνιδίως ἐῤῥώμενον θεασάμενοι, κατὰ τὴν ἐπίφασιν κατεπλάγησαν,*“ Etiam in colloquio cum Massinissa: L. XXVIII, 35, 6. „Praeter quam quod suapte natura multa majestas inerat, adornabat promissa caesaries, habitusque corporis, non cultus munditiis, sed virilis vere ac militaris, et aetas in medio virium robore, quod plenius nitidiusque ex morbo velut renovatus flos juventae faciebat.“ cfr. Liv. XXVIII, 18, 7. Polyb. XI, 24a, 4. Haec ipsa autem promissa caesaries cultusque corporis nimis graecus Scipioni opprobrio est. cfr. L. XXIX, 19, 11.

Deinde vero nonnulla, quae neque ad ipsas res gerendas pertinent, neque in libris magistratuum et in relationibus ad senatum perscripta erant, accurate exposita invenimus. Sic ratio, L. XXVI, 48, qua Scipio et Laelius discessionem militum tollunt, ultra fines castrorum vix poterat progredi, nisi narrata ab aliquo, qui rebus interfuerat. Idem quadrat in ea, quae L. XXVI, 51 de exercendis militibus legimus,: primo die in armis legiones IV milium spatio decurrisse; et quae secundo, tertio, quarto, quinto die gesta sint. cfr. Polyb. X, 20, 1—3. Idem dicendum erit de iis, quae L. XXVII, 19, 4—6 de contempto a Scipione regio nomine et L. XXVII, 20, 1 de belli consilio diversisque ducum sententiis, afferuntur. XXVIII, 21 munus gladiatorium et maxime quidem certamen Corbis et Orsuae ad summam belli non pertinent, sed 9—10 dilucidissime describuntur, ut ab homine qui in illis ludis spectator fuerit. Idem quadrat in L. XXVIII, 25—27, ubi seditio sastrorum Sucronensium accuratissime describitur, tamquam ab homine, qui in ipsis castris versatus sit.

Maxime vero, quae L. XXX, 12—15 de amore et morte Sophonibae exponuntur, huc pertinent; quae non in publico acta esse, sed arbitris remotis, cum per se intelligitur, tum c, 14. indicatur. Itaque cum res per se postularet, ut silentio praeteritetur, is sine dubio, qui eam tam accurate exponere potuit, in castris Scipionis aut ipse fuit, aut eorum testimoniis, qui omnibus his rebus interfuerunt, usus est. cfr. XXIX, c. 29, 6—c. 33. Polyb. IX, 25.

Polybius contra saepius de ea ratione loquitur, qua historiam conscribi oporteat. Dicit igitur XII, 27 tria opus esse: rationem *διὰ τῆς ὁράσεως* res cognoscendi; id est, ipsum iis interfuisse; alteram: *δι' ἀνακρίσεως* historiam conscribendi, id est: percunctantem; tertiam *διὰ τῶν ὑπομνημάτων*, aliorum commentarios sequentem; atque optimus quidem is erit, qui ipsis rebus interfuit. Quod cum non semper fieri possit, rationi *διὰ τῆς ὁράσεως* alias illas *δι' ἀνακρίσεως* et *διὰ τῶν ὑπομνημάτων* esse adjungendas. Quod Polybium quam maxime facere studuisse, ex multis locis patet. Saepe enim ipse rebus gerendis interfuit, P. XII, 5, 1—3. XI, 10—18. etc.; saepe locos, de quibus agendum erat, ipse visitavit; quod cum in omnibus rebus est notum, tum de Hispania et Africa apparet. cfr. P. X, 11, 4 de situ Carthaginis novae: *οὐ γὰρ ἐξ ἀκοῆς, ἀλλ' αὐτόπται γεγονότες* etc. etiam Plinium VIII, 16, 18 ubi Polybius Aemiliani comes in Africam fuisse traditur. Haec igitur *διὰ τῆς ὁράσεως* comperit, sed etiam *δι' ἀκούσεως* eum multa accepisse constat: P. X, 3, 2 ante omnes Laelium nominat, *διὰ τὸ δοκεῖν εἰκότα λέγειν* et IX, 25, 3 *Μασσανάσσου ἀκριβέστερον διήκουσα*; quod apud scriptorem, cum summis viris conjunctum per se intelligitur.

Sed etiam *διὰ τῶν ὑπομνημάτων* scripsit; id quod cum ex multis aliis locis, tum ex P. X, 9, 3 apparet, ubi aequalium testimonia, sine dubio scripta, et epistolam Scipionis ad regem Philippum commemorat, in quo Scipio exposuerat: *ὅτι τούτοις τοῖς ἐκλογισμοῖς ἐχρήσατο, οἷς ἡμεῖς ἀνώτερον ἐξελογισάμεθα.* Haec igitur, quae Polybius ipse audiendo, videndo, legendo conquisiverat, apud Livium desunt; cetera apud utrumque fere consentiunt, unde, si nulli alii rei credis, certissime apparet, iis communem fuisse fontem. Polybius enim

respicit ad eos scriptores, qui cum de summa rerum secum consentiant, ea quae ipse conquisiverit, non habeant, quamvis gravissima. P. X, 9, 2. τούτοις οὖν τοῖς ἐκλογισμοῖς ὁμολογοῦντες etc. Itaque Livius non Polybium est secutus, sed eundem fontem, quem ille, ad quem Polybio nonnulla videbantur addenda. Quod vero supra videramus, fontem Livii fuisse latinum, in Scipionis castris versatum aut ejus aequalem, optime etiam in Polybium quadrat. Nam illud quidem et propter vivendi rationem Polybii et propter ejus studia vix erit dubitandum, quin eorum libros, qui res, quibus ipsi interfuerant, ipsi perscripserant, omnes inspexerit. Quod ita se habere, apparet etiam ex Pol. X. 9, 3 τῆς τῶν συμβεβιωκότων μαρτυρίας[49]) et ex VIII, 4. XII, 28. Deinde vero XI, 31, 8 animus militum sic describitur: παραπλησίους εἶναι πάντας ἐκ τῆς ἀπόψεως τοῖς ὁρῶσι τοὺς πολεμίους καὶ ὅσον οὔπω μέλλουσι διακινδυνεύειν; quae ex descriptione alicujus, qui rebus interfuerat, fortasse desumpta esse, indicat l. XI, 12, 2, ubi Polybius ejusmodi ardorem, quem in exercitu Philopoemenis ipse viderat, similiter depingit. Sed accedunt alia testimonia multo graviora Pol. XII, 28, a, 8 dicit: ἡ γὰρ τῶν παρεπομένων τοῖς πράγμασιν ὑπόμνησις αὐτὴ χειραγωγεῖ τὸν ἐξηγούμενον et XII, 28, 3: τὰ τῆς ἱστορίας ἕξει τότε καλῶς, ὅταν ἢ οἱ πραγματικοὶ τῶν ἀνδρῶν γράφειν ἐπιχειρήσωσι τὰς ἱστορίας (μὴ καθάπερ νῦν, παρέργως) etc. cfr. XXIX, 6 a, §. 4 et 6. XXXIV, 10, 6. Strabo IV, p. 190. Hinc igitur apparet, Polybium et eorum testimonia, qui rebus ipsi interfuerunt, summi pretii habuisse atque sine dubio iis esse usum: et ejus tempore exstitisse historias quasdem ἀνδρῶν πραγματικῶν, qui res quas ipsi gesserunt, ipsi perscripserunt. Hannibal ipse graecos commentarios scripsit; (Cornelius Nepos vit. Hann. XIII, 2); idem fecerunt „testes illi oculati" Silenus et Sosilus; (Corn. Nepos Hann. XIII, 3); Romanorum scriptorum ejus aetatis notissimi sunt: Q. Fabius Pictor. L. Cincius Alimentus, ἄνδρες πραγματικοὶ καὶ ἀξιόπιστοι;

49) Agitur hoc loco de scriptis commentariis, nam, nisi perscripti essent, Polybius scriptoribus opprobrio non vertere posset, quod eos non adiissent: cum ipsis autem aequalibus colloqui non omnes potuerunt.

sed ne ipse quidem Scipio res a se gestas, quamquam breviter, exponere indignatus est: cfr. Polyb. X, 9, 3. Idem de Scipione Nasica Plutarchus (Aemilius Paullus XV, 4) affert. Accedit (Polyb. XL, 6) Aulus Postumius ille, quamquam non sane laude dignus, alii. — Habemus igitur satis amplum numerum eorum, qui aut ante Polybium aut ejus temporibus res, quibus interfuerunt, memoriae prodiderunt, neque mirandum erit, si praeter hos, quos cognitos habemus, alios fuisse dicimus, quorum ne nomen quidem exstat.

Sed accedunt alia. Videramus supra, fontem de quo agimus, incipere a Scipionis expeditione in Hispaniam et finiri ejusdem expeditione in Africam narrata. Itaque non totum bellum neque res in Italia gestas, amplexus est, sed partem aliquam belli, quae ad Scipionem Africanum ipsum pertinet. Quod optime congruit cum iis, quae de Polybii fontibus cognita habemus. Saepe enim Polybius queritur (XVI, 14) quod plerique scriptores nihil nisi partem aliquam belli conscribere sibi proponant (*οἱ κατὰ μέρος γράφοντες*) dicitque, se primum, quae omnibus in terris gesta sint, comprehendere. (cfr. Nitzsch, mus. rhen. XXIII p. 606). Atque VIII, 4, 3 saepius commemorat historiam expeditionis Romanae in Hispaniam aut in Siciliam; cfr. VIII, 4, 3 et 4, 5; 4, 8. Hae igitur partes belli separatim erant perscriptae, ante Polybium; atque sine dubio ab aequalibus belli; unde sequitur, ceteras quoque partes, in quas bellum punicum dirimitur, singillatim potuisse enarratari. Maxime vero res Africae et Hispaniae, cum ad unum Scipionem pertinerent, aptae erant, quae uno volumine conjunctae enarrarentur. Sed utut hoc est; Polybius nullius fere, nisi *τῶν κατὰ μέρος γραφόντων* libris uti potuit, quod eum fecisse, et mirus ille consensus cum Livio *in parte* aliqua belli punici et loci VIII, 4 comprobant.

Sed hic sine dubio erit consistentundum et ultra progredi esset summae audaciae. Nomen enim scriptoris ne conjectando quidem assequi possumus; non magis, quam ejus nomen, quem P. VIII, 4 de rebus Hispaniae scripsisse videmus. Itaque, ut breviter comprehendamus, quae supra exposita sunt, id erit dicendum: Expeditiones Scipionis, quales apud

Livium XXVI—XXX et apud Polybium X—XIV leguntur, inter se cohaerent, atque ad unum fontem pertinent; latinum, omnibusque rebus tam bene exstructum, ut a veritate nobis non multum aberrasse videamur, si eum aut ipsum in castris Scipionis fuisse, aut eorum, qui in his castris fuerunt, narrationibus usum esse dicimus. Polybius autem hunc scriptorem pro suo doctrina et diligentia nonnunquam correxit, gravissimisque testimoniis auxit. Num vero autor ille graeco an latino sermone usus sit, illud quaerere inutile est; fuit certe Latinus ac Livius eum latine perscriptum usurpavit; fortasse jam cum alius historici opere conjunctum. —

DE RATIONE,
QVA LIVIVS IN TERTIA DECADE
OPERE POLYBIANO VSVS SIT.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXIII. MENSIS IANVARII A. CIↃIↃCCCLXVII

PVBLICE DEFENDET

GVILELMVS MICHAEL

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

HERMANNVS STEDEFELDT ST. PHIL.
PAVLVS TOEPELMANN DR. PHIL.
PAVLVS DEVSSEN STVD. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI

CAROLO HENNINGES

AVVNCVLO CARISSIMO SACRVM

ARNOLDO SCHAEFERO

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

PIO GRATOQVE ANIMO OFFERT

AVCTOR.

Magnus sane eorum est numerus, qui ex quo Fr. Lachmannus [1]) primus accurate et subtiliter in fontes T. Livi inquisivit, quantum is rerum scriptor e Polybio hauserit certis finibus circumscribere conati sint. Ac Lachmanno quidem Livius Polybium sibi praecipue in tertia decade ducem elegisse visus erat, ita ut non solum multa ex eo ad verbum Latine transferret, sed in eis etiam locis, quorum argumentum ipsum ab aliis, qui late et copiose narraverant, accepit et illustravit, eum tamen, quo Polybius usus erat ordinem in narrando servaret, et cum multa a Polybio plane omissa ex aliorum scriptis assumeret, in rebus tamen gravissimis exponendis rursus ad illum rediret. Quam sententiam cupidissime amplexus est Th. Lucas [2]), quid quod ne acquievit quidem in eis quae sibi Lachmannus invenisse visus erat. Is enim cum Livium Polybio in primi belli Punici historia usum esse negaverit, Lucas in extrema sua commentatione multa esse ait, quae se impediant, quominus ei sententiae adstipuletur. Quamquam causas, cur in ea re Lachmanno adversaretur, non attulit. Aliam viam ingressus Peterus [3]) ad eundem atque Lachmannus delatus est exitum. Etenim Polybium Livi iam inde a primis tertiae decadis libris fontem fuisse primarium, non tam argumenti utriusque

1) Fr. Lachmann: de fontibus historiarum T. Livi. Gottingae 1822 et 1828.

2) Th. Lucas: de ratione, qua Livius in libris historiarum conscribendis usus est opere Polybiano Programm v. Glogau 1854.

3) Peter: über die Quellen des 21. und 22. Buchs des Livius: (Programm von) Pforta 1863.

similitudinem premens probare studuit, sed ex eo collegit, quod tanta inter sermonem Livianum atque Polybianum videbatur intercedere cognatio, quae nisi e Polybio hausisset Livius, esse omnino non posset. — Similem de ea re sententiam oblata occasione tulit Madvigius [1]. — Neque vero defuerunt viri docti, qui aliter iudicarent. Ita iam Niebuhrius [2]) Livium negat opus Polybianum ante medium bellum Hannibalicum adhibuisse. Assentitur ei Schweglerus [3]) causam suppeditans, quod Livius silentio praetermiserit quae Polybius de foederibus illis inter Romanos et Carthaginienses ante primum bellum Punicum ictis commemoravit. — Cuius sententiae patrocinium dedita opera suscepit C. W. Nitzschius [4]), ita ut Livium in narrandis rebus initio belli Hannibalici gestis non Polybium secutum esse, sed utrumque auctorem e communi fonte hausisse affirmaret. Eum fontem, cum antea Fabium Pictorem fuisse sibi persuasisset, nuper [5]) de Coelio cogitavit Antipatro, quem in ea historiarum parte Livius adhibuisset. — Longius progressus est Michael [6]), qui num omnino quidquam Livius in narrando bello Hannibalico e Polybio desumpserit, vehementer dubitat. — Paulo aliter, ita ut proxime ad Niebuhri Schweglerique sententiam accederet, iudicavit L. Tillmanns [7]). Is cum in primis tertiae decadis libris Polybiana neget extare vestigia,

---

1) Madvigius: emendationes Livianae pag. 242.

2) Niebuhr: Vorlesungen über röm. Geschichte. B. I, p. 49.

3) Schwegler: röm. Gesch. I. p. 110.

4) C. W. Nitzsch: Fabius Pictor über die ersten Jahre des hannibalischen Kriegs. Allgemeine Monatsschrift für Wissensch. und Litteratur. Januar 1854.

5) Sybel, histor. Zeitschr. B. XI.

6) Michael: In wie weit hat Livius den Polybius als Hauptquelle benutzt? Programm des Torgauer Gymnasiums 1859.

7) Tillmanns: quo libro Livius Polybi historiis uti coeperit, Jahn, Jahrbücher 1861 B. 83 p. 844.

inde a libro XXIII concedit eum scriptorem a Livio assumptum esse. — Neque vero Weissenbornium [1]) neque Hertzium [2]), recentiores Livi editores ad Niebuhri sententiam non inclinari, inde videtur colligendum esse, quod alter, quae in primis tertiae decadis libris cum Polybi narratione conveniant, ex Fabio dicit, communi utriusque fonte desumpta esse posse, alter et ipse Livium affirmat Q. Fabium Pictorem, quousque annales eius porrigerentur, potissimum habuisse auctorem. — Videmus ergo in duas partes discedere viros doctos, sententiam ab altera latam atrociter impugnari ab altera, hos Lachmannum secutos per totam tertiam decada Livium pendentem facere e Polybio, illos Niebuhrio addictos spatium in quo Graeci hominis exemplum a Romano rerum scriptore expressum sit magis minusve coartare. Iam vero, cum diu multum de ea controversia in utramque partem disputatum necdum debellatum sit, primus mihi H. Nissenius [3]) rem in novum statum videtur adduxisse. Qui cum ab eis Livianis profectus esset locis, ubi sponte tamquam in oculos incurrerent Polybiana vestigia, eo pervenit, ut de ratione qua Livius Graecum sermonem Latine transtulisset, certa et indubia erueret. Et ea quidem ratione cognita atque perspecta, quatenus paterent Liviana illa Polybium redolentia, haud difficile fuit odoratu. Etenim quo magis ille a Romanorum annalium scriptorum genere narrandi abhorruit, eo minus Livianam aequabiliter decurrere orationem, modo ad Latini modo ad Graeci exemplaris similitudinem comparatam, non est cur miremur. — Verum enimvero quae Nissenius egregie disputavit, cum ad quartam tantum et quintam pertineant decada, de tertia

---

1) Weissenborn: Teubnersche Ausg. 1860. Einleitung p. XXXIV.

2) Hertz: Einleitung p. XXV.

3) H. Nissen: über die Quellen der IV. und V. Decade des Livius. Berlin 1863.

adhuc intactam reliquit quaestionem. Quamquam non ita labore calculos ad eam adiciendi supersedit, ut non quae delibata e Polybio viderentur, notis insigniret[1]). Sed licet paucis tantummodo significaverit quae de tertia decade sentiret, certe in eis, quae de quarta et quinta indagavit, habemus quo pedem infigere et unde proficisci possimus ad litem de tertia dirimendam. Iam vero cum ad eam decada totam perlustrandam nimis angustum sit spatium huiuscemodi commentationibus dari solitum, eam partem pertractare in animo est, quae initium capit inde a rebus post proelium Cannense gestis. In quam ut studium meum conferrem ea inprimis fuit causa, quod iusto nimis adhuc neglecta iacuit. Quicunque enim viri docti ad fontes tertiae decadis inquirendos accesserunt, omnem fere laborem et operam in libris XXI et XXII consumpserunt perpendendis. Ac sane quidem facilius eorum fuit negotium quia cum Livianis illis tertium Polybi librum integrum licebat comparare. Contra nobis de reliquis eius decadis suffragium laturis similis cum Nissenio est condicio. Sicut enim illi e Polybiani operis naufragio paucae tantum atque exiguae suppetebant reliquiae, quas cum Livi libris integris conferre posset, ita nobis de rebus post proelium Cannense gestis Polybium consulturis nullum datur responsum nisi fragmentis macilentis sane atque abruptis. Nam librorum eius quinque omnino sunt primi, qui integri ad nostram pervenerint aetatem. Ac quamvis iam in tertio de proelio edoceamur Cannensi, tamen ne in duobus quidem insequentibus rerum gestarum narratio ultra annum eius pugnae progreditur. Itaque quoniam Liviana, quae scripta extant inde ab extremo libro XXII

1) e Polybio desumptas esse putat particulas hasce: XXIV 4—7 21—39 40 XXV 7—11 23—31 XXVI 24—26 XXVII 29—33 XXVIII 5—8 XXIX 12 quarum omnium haec communis sit condicio, ut res vel in Graecia gestas vel ad Graecos homines pertinentes complectantur.

usque ad tertiae decadis finem cum Polybianis comparanda sunt fragmentis, pauca praemonenda videntur de ratione qua particulae illae abscissae ac multis modis mutilae truncataeque servari potuerint. — Atque inter tria quidem fragmentorum genera distinguendum videtur. Primum eorum est, quae codice Urbinate comprehensa typis primum evolgata sunt a Iohanne Hervagio Basileae 1549 [1]). Quod genus, incertum quo compilatore quove tempore confectum praeter maiorem partem libri sexti insignesque sequentium undecim librorum particulas etiam ex quinque prioribus Polybi libris continet excerpta [2]). Atque eum quidem compilatorem summa cum diligentia ita ut neque quidquam omitteret, neque de suo adderet ad fidem archetypi epitomas quas appellat axarassé priorum quinque librorum excerpta cum integris libris comparata ostendunt. Alterum est genus Polybianorum excerptorum, quod Constantini Porphyrogenneti debemus instituto. Qui in opere „*κεφαλαιωδῶν ὑποθέσεων βίβλια νγ*" Graecorum historicorum particulas utilissimas quasque cognituque dignissimas per LIII titulos ita curavit digerendas, ut ea quae sub unum generalis cuiusdam normae conspectum caderent excerpta singulis voluminibus comprehenderentur [3]). Quorum titulorum quinque omnino, quamvis ne ei quidem integri ad nostram aetatem pervenerunt. Unus *ἐκλογὰς περὶ πρέσβεων* continens Antverpiae a Fulvio Ursino primum editus est 1582. Alterum excerpta *περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας* complectentem primus H. Valesius in lucem emisit 1634 (Parisiis). Tertium, qui inscribitur *περὶ γνωμῶν*

---

1) Is. Casauboni Reiskique iudicia de ea compilatione inter se contraria annotavit Schweighaeuser praef. pag. VII.

2) Monendum videtur unum librum XVII nullum in eorum excerptorum serie habere locum; de qua re conferas Nissenium praef. p. 2.

3) Conferas Ern. Schulzi de excerptis Constantinianis quaestiones criticas, diss. inaug. Bonnae 1866. pag. 2.

in palimpsesto Vaticano repertum hoc saeculo Angelus Maius iuris publici fecit [1]). Fragmenta Polybi, Dionysi Halic., Polyaeni, Dexippi, Eusebi quae a Minoide Mina in monasterio Athonis montis inventa Carolus Muellerus edidit in appendice Flavi Iosephi Parisiis anno 1847, num titulo operis Constantiniani *περὶ στρατηγημάτων* adnumeranda sint in dubio relinquitur. Quae denique e codice Mausolei Escorialensis ad lucem protraxit excerpta Aug. Federus [2]) sub titulum cadunt *περὶ ἐπιβουλῶν*. Atque eorum quidem omnium alia est condicio atque illorum, quae codice Urbinate comprehensa antiqua appellantur. Vetus enim ille compilator cum in eo potissimum elaboraret, ut quam proxime in textu constituendo ad archetypi similitudinem accederet, homines, quibus opus Constantinianum erat curae, quod non solum neglegentiores fuerunt in verbis Polybianis referendis, verum saepe etiam consulto textum mutaverunt, nequaquam mirum videtur [3]). Etenim cum ita res esset instituta, ut Graecorum historicorum operibus in minutas partes concisis, istarum particularum suum quaeque locum sub singulis inveniret titulis, fieri non potuit, quin saepe quae apud ipsum rerum scriptorem sermonis continuitate consociata fuerant, iam variis titulis adscriberentur rerum diversitati accomodatis. Itaque haud raro factum videmus, ut non solum misere oratio dirumperetur, verum etiam ea, quae in neutrum illorum titulorum videbantur quadrare plane a compilatoribus omitterentur. Alia importunitas ex eodem Constantiniano instituto ortum duxit. In singularum enim particularum et initio et fine constituendo, saepe

1) Eadem fragmenta sua ipsius cura e palimpsesto Vaticano descripta edidit Heyse. Berolini 1846. C. Mueller: fr. hist. gr. II, XXXIX.

2) A. Feder: excerpta etc. Darmstadi 1839 et 1855. Mueller: fragm. histor. gr. vol. II p. VII—XLII.

3) conf. Nissen praef. p. 7—17.

ne aut haereret qui legeret in oratione divulsa atque discerpta, aut narratione subito finita de rerum exitu dubitaret, paucis et quae antecesserant et quae insequebantur significaverunt. Porro quae nimis copiose a veteribus rerum scriptoribus enarrata viderentur breviter perstrinxerunt verbis additis: *ταῦτα κεφαλαιωδῶς*. Itaque nobis singula illa fragmenta cum narratione Liviana comparaturis cavendum est ne labore supersedeamus de ratione inquirendi inter excerpta Constantiniana ipsumque Polybi textum intercedente. Tertium denique genus ea complectitur fragmenta, quae apud veteres rerum scriptores velut apud Heronem Athenaeum alios reperiuntur. Alia grammatici, Stephanus Byzantius potissimum et Suidas servaverunt. At de eorum quidem fide similiter iudicandum esse atque de Constantinianis excerptis non est, quod pluribus disputem [1]).

Iam ut ad ipsum meum propositum aggrediar, in extremo libro XXII cum ad ea Livius pergat enarranda, quae proxime secuta sunt proelium Cannense inde a capite LVIII usque ad LXI de captivorum verba facit redemptione Romanis ab Hannibale proposita. Similia [2]) apud Polybium scripta extant in digressione illa ampliori, qua reipublicae Romanae praestantiam laudibus extollit. Ac sane quidem quoniam duplicem de ea re fuisse famam Livius tradit, eam quam priori posuit loco in universum cum Polybi narratione congruentem esse, negari non potest. Sed in singulis multifariam Livium discrepare a Polybio accuratius nobis inspicientibus apparebit. Ita cum Livius narret, pretium poposcisse Hannibalem in capita equiti quingenos quadrigatos nummos, trecenos pediti, servo centenos, Polybius eum captivis copiam redimendi fecisse dicit, pretio ternarum minarum in singulos constituto. Quantum igitur apud Livium a singulis persolvendum

1) Nissen praef. pag. 6.

2) Bekker VI, 58.

erat peditibus, tantum apud Polybium a singulis captivis[1]). Porro Carthalonem, qui ad pacis condiciones[2]) ferendas decem captivorum legatos sequi vellet a lictore finibus Romanis ante noctem excedere iussum esse ex uno Livio habemus compertum. Idem legatorum principem M. Iunium fuisse testatur, cum nihil omnino de eorum nominibus Polybius addat. In sequentibus admodum multus est Livius in oratione enarranda, qua captivorum causam M. Iunius defendere studuerit. Contra Polybius breviter qua ratione legati in suadenda captivorum redemptione usi sint significat. Sed tantum abest, ut quae Graecus rerum scriptor paucis perstrinxit, accuratius atque copiosius Romanus exsequatur, ut utriusque argumentationes omnino inter se dissideant. Etenim cum apud Polybium quod ab hostibus capti sint ita se excusent legati, ut a ducibus suis castrorum praesidio relictos se Hannibali victori diutius resistere potuisse negent, apud Livium fortiter pugnantes affirmant sese e proelio castra petiisse, neque prius hostibus arma tradidisse, quam nulla iam per confertos eos erumpendi spes esset. Nam quod in capitis LIX paragrapho IX dicit: „sunt et de nostris quidam, qui ne in acie quidem refugerunt, sed castrorum praesidio relicti, cum castra traderentur, in hostium potestatem venerunt," certe de paucis est cogitandum. Atque eam quidem discrepantiam ne quis levioris esse momenti existimaverit. Inde enim ap-

1) cfr. Mommsen R. M. 343 pp. N. 149. 150.

2) Ceterum monendum videtur repugnare his Livianis ea, quae ipse in capitis LII paragrapho III scripsit: pacti ut arma atque equos traderent in capita Romana trecenis quadrigatis nummis in socios ducenis, in servos centenis. Nam licet expressis dicat verbis, pretium quod se dedentes pepigerant adauctum esse equitibus, tamen quod silentio praeteriit, Hannibalem etiam de sociis Romanis, quod eorum erant captivi consilium suum mutasse, non meminisse videtur, quae priori illo loco de eis nuntiaverit.

paret, Livium hoc loco ex eodem fonte hausisse, quo in pugnae Cannensis descriptione usus est. Nam sicut ibi [1]) septem milia hominum narrat ex eo proelio in minora castra perfugisse, decem in maiora, ita cum M. Iunium captivorum virtutem proelio comprobatam praedicantem faciat, sane sibi ipsi est constans. Contra Polybius [2]), quoniam paucos e proelio servatos, sed decem milia hominum a ducibus Romanis in castris relictos esse nuntiavit, quod apud eum aliter atque apud Livium captivorum res comparata videtur, non est, cur miremur. — Quae post M. Iuni orationem de diversis senatorum sententiis protulit Livius, Polybius plane omisit. Idem T. Manli Torquati orationem, qua captivorum redemptionem dissuaserit silentio praeteriit. Quamquam postremo propius Livium ad Polybianae narrationis similitudinem accedere concedendum videtur. Ita in eo consentiunt, unum e legatorum numero, quod fallaci in castra reditu iure iurando se exsolvisset, domum abiisse. Quem comprehensum uterque est testis censuisse senatum ad Hannibalem deducendum esse. Neque vero in exponendis causis de quibus non redimendi captivi visi sint inter Livium et Polybium similitudinem quandam non intercedere Graeci rerum scriptoris verba docent cum Livianis comparata [3]).

---

1) Livius XXII c. 49 § 13.

2) Polybius III c. 117. Bekker pag. 295 et 296.

3) Polybius VI. 58. Bekker pag. 549 v. 22: *ἀλλὰ συνιδόντες τὴν Ἀννίβου πρόθεσιν, ὅτι βούλεται διὰ τῆς πράξεως ταύτης ἅμα μὲν εὐπορῆσαι χρημάτων ἅμα δὲ τὸ φιλότιμον ἐν ταῖς μάχαις ἐξελέσθαι τῶν ἀντιταττομένων, ὑποδείξας ὅτι τοῖς ἡττημένοις ὅμως ἐλπὶς ἀπολείπεται τῆς σωτηρίας κτλ.*: Livius c. 61: praeter exemplum civitatis minime in captivos iam antiquitus indulgentis pecuniae quoque summa homines movebat, qua nec aerarium exhaurire, magna iam summa erogata in servos ad militiam emendos armandosque nec Hannibalem maxime huius rei, ut fama erat, egentem locupletari volebant.

Quae cum ita sint, ne a vero aberrem, si Livium in ea narratiuncula referenda Polybium secutum esse nego, non vereor. Quoniam enim eam inter utrumque rerum scriptorem videmus intercedere rationem, ut multa sint apud Livium, quae frustra quaeras apud Polybium, tum vero ea, quae hic summatim attingit, ille disputet uberius, denique ne ea quidem desint Liviana, quae aperte repugnent Polybianis, consentaneum est alius cuiusdam rerum scriptoris Livium insistere vestigiis. Nam quod Lachmannus ita rem sibi conformabat, ut Livium diceret annalium scriptores ad Polybi narrationem supplendam adhibuisse ego non assequor quod genus historiam scribendi ei tribui possit magis intricatum. Qui primum simplicem Polybi narrationem cogitandus esset variis rebus de industria conlectis aliunde amplificasse atque exornasse, tum subito in enarranda M. Iuni oratione alium adiisse auctorem, denique in fine iterum ad Polybium deflexisse. Quam rationem Livium in hac fabula referenda secutum esse eo prohibemur quominus credamus, quod quo latius patet operis Liviani circuitus, eo minus veri est simile, eum etiam in rebus levissimis exponendis non unum potissimum amplexum esse auctorem, sed multorum quasi flosculos decerpsisse atque delibasse. Itaque quoniam permulta esse evicimus, in quibus referendis, quin alium atque Polybium adierit auctorem fieri nequeat, equidem nullam video causam, cur non ex eodem fonte haurire potuerit ea, quibuscum Polybiana narratio consentiens est. — Alteram fabulam, quam de legatis eorumque mala fide Livius exponit Acilio deberi e Cicerone [1]) habemus compertum. Quamquam num ex ipso Acilio vel e Claudio, qui annales eius e Graeco sermone in Latinum verterat, narratiunculam eam Livius hauserit, in dubio relinquitur. Eam enim etiam in alio-

1) Cicero de off. III, 32, 115.

rum annales translatam esse veri simillimum videtur. — Priusquam ad alia transeamus Weissenbornius impugnandus est cum verba Liviana[1]: est et alia de captivis fama: decem primos venisse ad Polybiana spectare putet: δέκα τοὺς ἐπιφανεστάτους. Decem enim primos tribus aliis, qui insuper venerunt (§ 6) opponi a Livio per se patet. — Praeter eam narratiunculam nihil est in fine libri vigesimi secundi, quod cum Polybio comparare possis. Qui cum in extremo libro tertio incrementum quod pugna Cannensi Carthaginiensium opibus allatum sit breviter potius significet quam copiosius illustret, in duobus vero libris insequentibus de Achaeorum bello sociali, de rebus Asiae, Aegypti, Syriae verba faciat, in libro sexto disputationem addat de re publica Romana, in septimo demum ad bellum Hannibalicum revertitur. Itaque quae Livius post pugnae Cannensis descriptionem de pulcherrimo P. Scipionis facinore, de rebus Romae peractis tradit Polybius aut plane omisit, aut initio libri septimi attulisse existimandus est. Quamquam admodum dubium videtur, num de Scipionis tam egregio in rempublicam Romanam merito mentionem fecerit. Nam cum in libro decimo inde a capite Bekkerianae editionis altero usque ad quintum, quo rectius P. Scipionis res in Hispania et Africa gestae diiudicarentur, de ingenio eius vitaque publica antea peracta digressionem faciat, facinus illud omnino praetermittit. Quod si antea in septimi libri initio commemorasset hoc loco si non iterum copiosius persecuturus fuisse putandus est, at certe leviter attingens repetiisset. Restat, ut nonnulla de L. Postumi morte addam, quem Polybius una cum exercitu suo a Gallis interfectum esse in extremo libro tertio annotat. Eam cladem proxime proelium Cannense secutam esse affirmat cum dicat: καὶ γὰρ ὥςπερ ἐπιμετρούσης καὶ συνεπαγω-

1) Liv. 61, 5.

νιζομένης τοῖς γεγονόσι τῆς τύχης, συνέβη μετ' ὀλίγας ἡμέρας κτλ.[1]). Contra Livius qui de eadem re in libri XXIII capite XXIV exponit exeunte demum anno L. Postumium mortuum esse volt. Quod[2]) enim tertium eum absentem consulem creatum esse dicit quo tempore Idus Martiae iam appropinquabant nuncium cladis acceptae initio demum anni proelium Cannense proxime insequentis Romam perlatum esse apparet. Ceterum etsi luce est clarius narrationem eam Livianam ex annalium aliquo scriptore haustam esse, tamen nescio an verba eius: aliam super aliam (sc. cladem) cumulante in eum annum fortuna ad similitudinem comparata videantur Polybianorum: ὥσπερ ἐπιμετρούσης καὶ συνεπαγωνιζομένης τοῖς γεγονόσι τῆς τύχης. Quae utut accuratissime sibi respondere agnoscimus mihi nequaquam necessario inde videtur colligendum esse, Livio ea verba exaranti Polybiana illa ante oculos versata esse. Nam ut praetermittam talem esse sententiam, quae sponte tamquam utriusque rerum scriptoris animo sese inculcare potuerit, fieri potuisse quis est qui neget, ut e communi utriusque fonte desumeretur? Iam ut finem ei disputationis nostrae parti imponamus, Livium mihi persuasi in extremo libro vigesimo altero Polybium omnino non adiisse sed annalium scriptoribus usum esse ducibus. Sed quemnam eorum potissimum secutus sit ut certa et indubia ratione ad liquidum perducatur, ego vereor. Nam cum nomina auctorum, quibus fidem habuerit, non afferat, quod in sequentibus L. Caelium Antipatrum potissimum adhibuit nescio an ansam praebeat suspicandi eum etiam in hacce operis Liviani parte fontem primarum fuisse. Quam suspicionem adauget, quod narratiunculam illam de Maharbale in capite LI propositam e

---

1) c. 118 v. 29. Bekker pag. 296.

2) conf. Weissenbornium ad eum locum.

Caelio desumptam esse Weissenborni probabilis est coniectura [1]).

Sicut Livius in ea historiarum parte manus abstinuit a Polybio, ita ne ceterorum quidem auctorum, quorum de eisdem rebus vel integri libri vel fragmenta misere truncata ad nostram aetatem pervenerunt, ulla Polybianae narrationis prae se ferunt insignia. Appianum enim fontibus Romanis usum esse, praeterquam quod multa habet cum Livio communia narratiunculis inprimis comprobatur annalium scriptores redolentibus, quae inhumanam Hannibalis crudelitatem exemplis illustrent [2]). Accedit quod Acilianae illi fabulae cognata videntur, quae de captivorum legatione tradit. Quamvis enim duplicem eam fuisse ignoret, tamen cum trium legatorum faciat mentionem ter illos significari consentaneum est, quos insuper venisse Acilius narraverat. Eorum principem quod Cn. Sempronium appellat, contra Livius L. Scribonium, C. Calpurnium, L. Manlium eos fuisse refert, vereor ne Appiani neglegentiae atque incuriae omnem modum saepissime excedenti tribuendum sit. Similiter de Diodori [3]) et Cassi Dionis [4]) statuendum esse narrationibus cum exiguae eorum quae extant reliquiae nobis persuadent, tum Zonarae [5]) opus est documento. Quem Dione ita esse usum, ut alia transscriberet, alia praetermitteret alia in brevius contraheret W. A. Schmidtius [6]) certissime evicit. Neque aliter de Plutarcho [7]) iudicandum erit qui in describenda perturbatione Romae post pugnam Cannensem

---

1) conf. Gellium 10, 24, 6.

2) Appianus de bello Hannibalico VII, 28.

3) Diodor 26, 23.

4) Dio Cass. 57, 36.

5) Zonaras 9, 1.

6) W. A. Schmidt de fontibus Zonarae, Zeitschr. f. Alterthumswiss. ed. Zimmermann 1839 p. 238.

7) Plutarchi Fabius 16.

orta et in exponenda ratione, qua Hannibal magis magisque opibus invaluerit, nihil habeat, quod non cum Liviana narratione conspiret.

Liber XXIII.

In proximi libri initio Livius Hannibalem narrat in Campaniam profectum Compsa urbe potitum esse, tum vero de Neapoli expugnanda desperantem Capuam iter ingressum esse. Eius civitatis quae tum fuisset condicio, quae factiones inter se certavissent postquam uberius disputavit, quomodo ad Hannibalis amicitiam Campani traducti sint exponit. Atque earum quidem rerum quamnam Polybius narrationem exhibuerit, ob casum qui illi operi accidit miserabilem unde erui possit non habemus. Superstites enim duae tantummodo sunt reliquiae, quarum alteram servavit Athenaeus p. 528 [1]), alteram Suidae debemus sub voce *Καπύη*. Et Athenaeus quidem Polybi testimonio usus breviter causam defectionis eam fuisse narrat, quod Campani longa felicitate emolliti nimiam fortunae indulgentiam ferre non possent. Quae a Suida exhibentur verba: *ἡ δὲ Καπύη μεταθεμένη πρὸς Καρχηδονίους τῷ βάρει συνεσπάσατο καὶ τὰς ἄλλας πόλεις* quamquam certe sunt Polybiana, tamen nostrae disputationi qui fructus inde capi possit, non video. Etsi igitur Polybium comparare non possumus cum Livio, tamen ipsis Livi verbis spero me demonstraturum esse, eum ne in hac quidem historiarum particula exemplar Polybianum expressisse. Etenim in extremo capite sexto cum apud quosdam annalium scriptores se invenisse affirmet, legatos a Campanis Romam missos esse, ut alter consul Campanus fieret postulantes,

1) Bekker p. 550.

ansam habet de ea re dubitandi, quia nimis compar Latinorum quondam legatio fuerit, Caeliusque et alii id haud sine causa praetermiserint scriptores. Itaque quod Caelium e ceterorum qui annales composuerunt, turba eximit, quantum ei tribuerit, perspicuum est. Quare non dubium mihi videtur, quin eum hoc loco potissimum secutus sit. Nam quae fuerit causa, cur enim nominatim afferret nisi fontem habuisset primarium, ego non assequor. — Quam operis Liviani partem priusquam missam faciamus paucis Weissenborni perstringenda videtur annotatio, quam capitis octavi paragrapho alteri ascripsit. Ibi cum Pacuvius Calavius princeps appelletur factionis eius, quae traxit rem ad Poenos, Livi editor in libri XXVI capite X Vibium Virrium monet defectionis auctorem dici. Inde ne quis colligendum esse putet, eam inconcinnitatem irrepsisse in Livi narrationem, quia fontibus uteretur inter se discrepantibus, memineris velim et Vibium Virrium et Pacuvium Calavium primas in foedere cum Poenis iungendo egisse partes. Sicut enim ille Campanorum legatis post colloquium cum consule Romano habitum domum redeuntibus, ut civibus suis Romanorum calamitatem etiam in maius adauctam renunciarent, persuasit, ita Pacuvius senatum sibi obnoxium ad eandem sententiam perduxit, ad quam ut plebes inclinaret Vibius Virrius effecerat. Cum Liviana narratione Cassium Dionem in universum congruentem fuisse Zonaras [1]) docet, qui a Romano rerum scriptore nisi quod multa brevius exponit, nonnulla praetermittit, non dissentit. Ceterum etiam Diodori [2]) breve extat fragmentum, summam orationis, quam *Πάγκυλος Παῦκος* in Campanorum contione habuerit, referens. Qui nisi necessarium fuisset, negat se unquam a Romanis defecturum fuisse. Iam

---

1) Zonaras 9, 2.
2) Diodor 26, 13.

vero cum nulla eis spes sit relicta, hostes vero ipsorum oppido iam appropinquent, necessitati parendum esse. Cuius contionis cum nullam Livius faciat mentionem, Diodorum alio atque eum fonte usum esse non est quod negemus. Quamquam utrum Polybium secutus sit, an ex annalium Romanorum pendeat scriptoribus in ambiguo est. In sequentibus, c. 11—13, postquam de Fabio Pictore Delphos legato Livius verba fecit, quibus animis Carthaginienses nuncium Cannensis victoriae acceperint, exponit. Quarum rerum quamvis nulla apud Polybium extent vestigia usque ad nostram aetatem servata, tamen scrupulus ne tenuissimus quidem residet Polybianam narrationem a Liviana alienam fuisse. Etenim quae de Delphici oraculi responso Livius tradit a Fabio Pictore recitato, si non ex ipsius Fabi annalibus hausit, at certe fonti deberi Romano veri est simillimum. Tum vero orationes, quas Himilconem Hannonemque in Carthagiensium senatu habentes facit, propterea Polybio sunt abiudicandae quia omnino non distinguit inter duas Carthaginiensium factiones, quarum alteram popularem Barcinis obnoxiam fuisse, alteram optimatium, Hannone principe, bellum cum Romanis gerendum dissuasisse semper, e Fabi Pictoris annalibus primum videtur innotuisse. Ceterum sicut iam antea Caelium Antipatrum Livi fuisse fontem ut statueremus causae erant gravissimae, ita ne hoc quidem loco Caelianae narrationis prorsus destituti sumus vestigiis. Nam verba eius a Prisciano [1]) tradita: „nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam brevi spatio datas arbitror quam vobis“ fundamentum fuisse cui Livius orationem a Magone Carthaginem legato habitam superstrueret, coniecturam Weissenbornius fecit mihi arridentem. Neque magis ad Polybi similitudinem Dionis Cassi [2]) comparatam

1) Priscianus 6, 1, 5.

2) Dio Cassius fr. 57, 28.

fuisse narrationem, earundem rerum a Graeci scriptoris disputatione alienarum comprobatio commemoratione. Pergit Livius [1]), postquam de rebus urbanis exposuit, ad pugnas enarrandas inter Marcellum Hannibalemque in Campania et Bruttiis commissas. Atque ne hic quidem quin Polybium neglexerit dubium videtur. Parum enim credibile est Graecum auctorem similia de pugna tradidisse Nolana. Nam cum Livius quamvis dubitanter iustam a Marcello reportatam esse victoriam narret, Polybius [2]) identidem ante cladem apud Zamam acceptam negat unquam victum esse Hannibalem. Neque minus Polybio repugnant, quae Livius de Carthaginiensium Campanis tradit hibernis cum dicat [3]): „itaque hercule, velut si cum alio exercitu a Capua exiret, nihil usquam pristinae disciplinae tenuit.“ Graecus enim rerum scriptor in libri XI capite XIX Hannibalis virtutem imperatoriam laudibus extollens: *ἑκκαίδεκα* inquit *πολεμήσας ἔτη Ῥωμαίοις κατὰ τὴν Ἰταλίαν οὐδέποτε διέλυσε τὰς δυνάμεις ἐκ τῶν ὑπαίθρων, ἀλλὰ συνέχων ὑφ' ἑαυτὸν ὥσπερ ἀγαθὸς κυβερνήτης ἀστασίαστα διετήρησε τοσαῦτα πλήθη κτλ.* [4]).

Iam ad alia ne pergamus locus Livianus salebrosus sane atque difficilis est impedimento, qui extat in capitis XIV paragrapho IV. Ibi cum narret rerum scriptor praeter duas urbanas legiones principio anni a consulibus conscriptas, praeter servorum dilectum cohortesque ex agro Piceno et Gallico conlectas, sex milia hominum, qui capitalem fraudem ausi quique pecuniae iudicati in vinculis

---

1) Livius c. 14—20.

2) Polybius XV. 11, 16. IX. 3.

3) Livius c. 18 § 14.

4) Ceterum ne sibi ipsi quidem Livius est constans. Similiter enim atque Polybius in libri XXVIII capite XII Hannibalem dixit, quod in Italia versaretur, uno quodam vinculo exercitum ita copulasse, ut nulla neque inter ipsos neque adversus ducem seditio exsisteret; de quo loco vide infra.

essent, armatos esse, calculum subducit viginti quinque milia cum M. Iunio Pera dictatore ab urbe profectos esse. Quae verba quam variis intricata sint difficultatibus in propatulo est. Primum enim in incerto relinquitur quod quatuor illarum legionum fuerit negotium in libri XXII capite LVII commemoratarum. Accedit quod in capite XXV duas urbanas legiones Romae remansisse narrat, quas nostro loco cum dictatore profectas esse tradidit. Quibus e salebris ut expediamus locum, nequaquam necessario statuendum videtur, Livium fontibus inter se diversis usum esse, sed an ita res possit conformari nescio, ut ex quatuor illarum legionum numero duas urbanas, initio anni cuiusque conscriptas fuisse sumamus. Quo facto quod duae remanent in urbe legiones duae profiscuntur non est quo offendamus. Ali loco qui paulo infra in eiusdem capitis est paragrapho XIII, utrum simili modo lux possit adspergi, an eo nobis confugiendum sit, ut Livium, fontibus usum inter se discrepantibus, temere coagmentasse statuamus, quae potius seiungenda erant, ego non decerno. Etenim eo loco cum Marcellum narret a Casilino petiisse Caiatiam, et inde Volturno amni traiecto per agrum Saticulanum Trebianumque super Suessulam per montes Nolam venisse, sane mirum videtur, quod in capitis XVII paragrapho VIII Casilinum tradit a quingentis Praenestinis cum paucis Romanis Latinique nominis contra Hannibalem esse defensum, quos audita clades Cannensis eo contulisset. Siquidem enim a Canusio (conf. XXII, LVII, 8) Marcellus Casilinum profectus est, et inde Nolanis succurrit, exspectandum est, eum Casilini in disiecta illa exercitus membra incidisse. Itaque Livius in enarranda Casilini oppugnatione aut alium atque antea adiit auctorem, aut corruptela in capitis XIV paragrapho XIII sub voce latet Casilini [1]) Sed ut redeat, unde deflexit oratio, quamvis

1) conf. Weissenbornium ad eum locum.

ne in sequentibus quidem usque ad caput XXX praeter locum quo L. Postumi clades [1]) describitur in Gallia accepta, ulla Livianae narrationis particula ad Polybianae disputationis obrussam exigi possit, tamen cum de rebus urbanis potissimum exponat, proclive est intellectu, eum fontibus usum esse vernaculis. Quod vero inde a capite XXVI usque ad XXIX de rebus in Hispania gestis certiores nos facit, quibus fidem habuerit auctoribus iudicium cohibendum videtur, donec totius belli Hispaniensis perpetuitatem permensi de ratione inter Livianam narrationem Polybianamque intercedente certiora possimus proferre. Restat ut paucis Cassi Dionis et Plutarchi de eisdem rebus disputationes perstringamus. Quarum alteram, si non ad amussim Livianae respondet narrationi at certe annalium Romanorum deberi scriptoribus non solum fragmenta Dionis Cassi [2]) comprobant verum etiam Zonarae[3]) evincunt annales. Nam quod Hannibalem Nuceria potitum senatores in balneis inclusos suffocasse narrat, eundemque Acerranos eisdem quibus Nucerinos condicionibus in deditionem acceptos eodem modo tractasse, non dubito, quin parum credibilia talia Polybio visa sint. Nec secus de Plutarcho [4]) erit iudicium, quando earundem atque Livius rerum mentionem fecit, a Polybio alienarum. Ceterum cavendum videtur, ne discrepantiis illis levioribus quae inter Livi Plutarchique intercedunt narrationes obstupefacti, eo adducamur, ut Plutarchum statuamus manus omnino abstinuisse a Livio, id quod Buchholzio [5]) accidit. Plutarchum enim, quoniam ipse Buchholzius sibi persuasit,

1) vide supra p. IX.

2) Dio Cass. frag. 57, 31.

3) Zonaras 9, 2.

4) Plutarch. Marcellus c. 9 etc.

5) M. Buchholz: quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit; Gryphiswaldiae 1865.

saepius cum testimonium proferret Livianum ne inspexisse quidem Livium, cur non etiam in veteribus referendis e memoria reddere potuerit, quae apud Livium legerat, ego non assequor. Ne quis enim illam premat discrepantiam, quod Livius duo milia et octingentos hostium caesos esse narrat contra Plutarchus: *λέγονται* inquit *ὑπὲρ πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν*, memineris velim Livium in altera pugna apud Nolam commissa (cap. 46 § 4) et ipsum plus quinque milia hostium caesa nunciare. Confudisse igitur Plutarchum numeros a Livio allatos multo est veri similius, quam ex alio fonte totam pugnae descriptionem petitam esse. Sed haec hactenus. Nunc paucis etiam Appianus [1]) videtur attingendus qui cum omittat omnia ea a Livio et Plutarcho tradita obiter percurrisse fontes suos et in brevius contraxisse putandus est.

In capite XXX cum Peteliam a Carthaginiensibus expugnatam esse Livius narret, in fragmento illo ab Athenaeo [2]) servato cuius supra iam fecimus mentionem, de eadem re exponit Polybius. Atque eum quidem, quamvis similiter Petelinos ad extremam inopiam obsidione redactos esse tradat, tamen alioquin a Livio discrepare nemo non videt. Etenim cum Livius oppidum aliquot post mensibus quam coepta oppugnari esset ab Himilcone Hannibalis praefecto expugnatum esse narraverit, Polybius Petelinos affirmavit, undecim mensium obsidionem passos ab ipso Hannibale in deditionem acceptos esse. Quamquam num propius ad Livi similitudinem integra Polybi narratio accesserit, omnem animo dubitationem eximi non posse non sum nescius. Valde enim Athenaeum Polybiana verba in brevius contraxisse in aperto est. Ceterum quemnam auctorem Appianus [3]) in eadem re enar-

1) Appian. Hannib. 27—29.

2) Bekker p. 550.

3) Appian c. 29.

randa secutus sit, parum constat. Neque enim Himilconem Carthaginiensium copiis praefuisse narrat, sed Hannonem[1]).

In enumerandis urbibus, quae post Peteliae expugnationem a Romanis desciverunt cum etiam in Siciliam eandem animorum inclinationem pervenisse Livius affirmet, eum repugnare Polybio quis est qui neget? Qui in libri VI capite octavo talia exhibet de Gelone: *ὅτι Γέλων πλείω τῶν πεντήκοντα βιώσας ἐτῶν σκοπὸν προέθηκε κάλλιστον ἐν τῷ ζῆν τῷ πειθαρχεῖν τῷ γεννήσαντι καὶ μήτε πλοῦτον μήτε βασιλείας μέγεθος μετ' ἄλλο περὶ πλείονος ποιήσασθαι μηδὲν τῆς πρὸς τοὺς γονέας εὐνοίας καὶ πίστεως.* Itaque quod Livius „Gelo, inquit, maximus stirpis contempta simul senectute patris simul post Cannensem cladem Romana societate ad Poenos defecit; movissetque in Sicilia res, nisi mors adeo opportuna, ut patrem quoque suspicione aspergeret armantem eum multitudinem sollicicantemque socios absumpsisset," eum auctori prorsus a Polybio discrepanti fidem habuisse quivis intellegit.

Pergit Livius[2]) de rebus disserere urbanis, tum postquam quae Romae ad bellum necessaria praeparata essent enumeravit, de Carthaginiensium verba facit apparatu. Earum rerum cum Polybiana narratio ad nostram aetatem non pervenerit certum de fontibus Livianis ferri non potest iudicium. Nec secus in sequentibus res se habet[3]). Ibi enim cum de foedere agat inter Philippum regem Macedonum Hannibalemque icto, fragmentum Polybianum comparare licet, foederis formulam continens[4]). Atque ut breviter quae ratio inter utrumque auctorem intercedat significem, Polybius praeterquam quod multo copiosior est Livio atque accuratior, duabus

1) conf. Weissenbornium ad c. 30 § 1—6.

2) c. 30 § 18—32.

3) c. 33—34.

4) Bekker VII, 9.

inprimis rebus ab eo dissidet. Hic enim cum pactum esse tradat, ut Philippus cum ducentis navibus in Italiam traiceret, nullus de ea re est Polybius. Porro Livius ita de praeda quae esset futura inter Hannibalem Philippumque convenisse dicit, ut Italia Poenis addiceretur, Graecia cum insulis ad Macedoniam vergentibus Philippo. Contra Polybius quamvis et ipse eas insulas testis sit Philippo concessas esse ab Hannibale, tamen neque de exstinguendo nomine Romano neque de summo occidentis imperio inter socium utrumque partiendo quidquam compositum esse volt[1]). Sed altera discrepantia, scrupulum residere in animo concedo, num talis sit, ut de Livi fontibus inquirentes ad alium atque Polybium relegemur auctorem. Nam quando nisi ipsa foederis formula nihil Polybianae narrationis servatum est, sane possit cogitari, posteriore loco Graecum scriptorem de navium numero verba fecisse. Ac numerum quidem a Livio traditum non alienum esse ab eis, quae e Polybio de regis compertum habemus rebus maritimis facile intellegitur. Ita in libri quinti Polybius capite CIX Philippum narrat cum Apolloniam aggrederetur *ἑκατὸν λέμβους Ἰλλυρικοὺς* secum habuisse. Quas quidem cum ad proeli navalis usum non instructas fuisse idem sit testis, duplici numero sperasse regem se Romanis parem esse futurum probabile est. Similiter de altera quoque discrepantia, quam inter utrumque auctorem vidimus intercedentem, iudicandum esse, fortasse aliquis sibi persuaserit. Nam quod in ipsa foederis formula supersederit Hannibal de praeda accuratius pacisci cum Philippo non est, cur miremur. Quomodo enim ut societatem secum iniret adducere potuisset eum, si totam Italiam praedam vindicasset? Etenim

---

1) confer verba apud Bekkerum p. 557 v. 30: *ἐὰν δὲ αἴρωνται Ῥωμαῖοι πρὸς ὑμᾶς πόλεμον ἢ πρὸς ἡμᾶς, βοηθήσομεν ἀλλήλοις εἰς τὸν πόλεμον, καθὼς ἂν ἑκατέροις ᾖ χρεία.*

Philippum non solum Graeciae petiisse imperium, verum etiam de Italia opibus suis cogitasse adiungenda Polybius docet in libri V capite CI. Sed re vera tale fuisse Hannibalis consilium quale Livius exhibet, ut omnem Italiam sub Carthaginiensium redigeret imperium, in confesso est. Itaque fieri potuisse non nego, ut in ea narrationis parte, quae proxime excipiebat foederis formulam similiter Polybius de veris Hannibalis dissereret consiliis. Quomodo igitur eos refellam ignoro, qui Livium si non ipsam foederis formulam ad Polybiani exemplaris fidem exarasse concedunt, at ita fonte eo usum esse volunt, ut praecisis eis, quae iusto copiosius ille videbatur exposuisse, narrationem suam quasi excerperet e Polybio. Quorum sententiae nescio an id quoque commode obveniat, quod Livius [1]) cum a rebus Italicis ad Graecas pergat enarrandas, in hanc dimicationem, inquit, duorum opulentissimorum in terris populorum omnes reges gentesque animos intenderant, inter quos Philippus Macedonum rex eo magis quod propior Italiae ac mari tantum Ionico discretus erat. Similiter Polybius in libri V capite CV dicit: *οὐ γὰρ Φίλιππος οὐδ' οἱ τῶν Ἑλλήνων προεστῶτες ἄρχοντες πρὸς τὰς κατὰ τὴν Ἑλλάδα πράξεις ποιούμενοι τὰς ἀναφορὰς οὔτε τοὺς πολέμους οὔτε τὰς διαλύσεις ἐποιοῦντο πρὸς ἀλλήλους, ἀλλ' ἤδη πάντες πρὸς τοὺς ἐν Ἰταλίᾳ σκοποὺς ἀπέβλεπον, ταχέως δὲ καὶ περὶ τοὺς νησιώτας καὶ τοὺς Ἀσίαν κατοικοῦντας τὸ παραπλήσιον συνέβη γενέσθαι.* Sed licet simillima Liviana sontentia videatur Polybianae, tamen cavendum est, ne in Livi verbis luculentissima Graeci scriptoris deprehendisse nobis videamur vestigia. Quo enim aptior ille a rebus Romanis ad Graecas est transitus, eo facilius potuit fieri, ut sponte tamquam utriusque scriptoris animo sese offerret. Itaque etiam hoc loco iudicium de fontibus quibus usus sit Livius cohibendum videtur. Ceterum de

---

1) Liv. c. 33 ab initio.

eisdem rebus Zonaras[1]) est comparandus, in universum cum Livio consentiens.

Inde a capitis XXXIV paragrapho X usque ad caput XXXVII Livius de rebus in Sardinia et Campania gestis exponit. De quibus cum nemo alius memoriae prodiderit, ut certius quid erui possit de Livi fontibus ego vereor. In eadem sunt obscuritate atque dubitatione, quae usque ad capitis XL initium de rebus a Romanis ad bellum contra Philippum gerendum instructis, et de vario in Sardinia Siciliaque fortunae eventu tradit. Quae unus Zonaras[2]) e Dione Cassio petita breviter attigit.

De altera Marcelli victoria apud Nolam reportata, cuius Livius usque ad medium caput XXXXVI mentionem fecit, similiter esse iudicandum atque de priori in propatulo est. Etenim quae causae fuerunt, ut Livium in describenda illa a Polybio abhorruisse statueremus, eisdem prohibemur, quominus hoc loco Livium credamus Polybianis institisse vestigiis.

In fine[3]) libri vigesimi terti de certamine exponit, quod Claudio Asello Romano fuerit cum Cerrino Vitellio Campano. Similem rem infra in libri XXV capite XVIII narrat ita tamen ut mutatis nominibus T. Quinctium Crispinum cum Badio manus faciat conserentem. Atque quin verum viderit Weissenbornius non dubito, qui Livium diversis nominibus deceptum eandem rem e variis fontibus petitam bis enarrasse suspicatur. Accedit, quod Appianus[4]) de uno Claudi Aselli certamine memoriae prodidit, quod quidem eo demum tempore factum esse affirmat, quo Livius inter T. Quinctium Crispinum et Badium pugnatum esse refert. Et Appianum quidem ex annalium aliquo

1) Zonaras 9, 4.
2) Zonaras 9, 3.
3) c. 46, 8—48, 3.
4) Appian. Hann. 37.

scriptore narratiunculam eam hausisse inde licet conicere, quod rem mirabilem quam pugnae equestri quosdam adiecisse annales Livius [1]) testatur, et ipse exhibet. Sed ne Livium quidem a fontibus recessisse vernaculis equidem mihi persuasi. Quod quamvis non ita possit demonstrari, ut omnis dubitatio necesse sit funditus abiciatur, tamen cum in sequentibus quae de rebus Campanis Livius exponit, eum discepare a Polybio in confesso sit, quin etiam de hoc loco simile suffragium sit ferendum non dubito. Nec secus erit iudicium de extremis duobus capitibus, quibus de rebus urbanis exponit.

Liber XXIV.

In proximi libri initio cum Locros et Crotonem defecisse a Romanis Livius narret, eum repetiisse apparet, quae iam antea in prioris libri capite XXX exhibuerat [2]). Itaque hoc loco aut alium atque antea auctorem adiisse putandus est, aut scriptorem secutus est, qui narrationem suam rebus undique conlectis parum scite conformavit.

Pergit in sequentibus ad res in Sicilia gestas [3]). Eodem spectat Polybi fragmentum, quod e Constantiniani operis titulo *περὶ πρέσβεων* desumptum typis primum evolgavit Ursinus [4]). Praeterea huc referendum videtur excerptum codice Urbinate comprehensum de Leontinorum urbis situ [5]). Atque hoc quidem loco Livium Polybianum expressisse exemplar, fore ut etiam invitis extorqueam assensionem ego confido. Primum enim monen-

1) Liv. 47. § 8.
2) conf. Weissenborn: ad caput I.
3) Liv. c. 4—7, 9.
4) Bekker VII, 2-5.
5) Bekker VII, 6.

dum videtur, nihil in Liviana inveniri narratione, cuius apud Polybium non extent vestigia, quoad Graecum comparare licet auctorem. Nam ut eos locos significem, quibus largiora nobis suppeditare Livius videtur quam Polybius, in capitis sexti initio legati, inquit, ad Hannibalem missi remissique ab eo cum Hannibale nobili adulescente Hippocrates et Epicydes', nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis exule avo, Poeni ipsi materno genere. Contra Polybius ita exhibet[1]: *σὺν δὲ τούτοις Ἀννίβαν τὸν Καρχηδόνιον, ὄντα τότε τριήραρχον καὶ τοὺς Συρακουσίους Ἱπποκράτη καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν νεώτερον Ἐπικύδη. συνέβαινε δὲ τούτους τοὺς ἄνδρας καὶ πλείω χρόνον ἤδη στρατεύεσθαι μετ' Ἀννίβου, πολιτευομένους παρὰ Καρχηδονίοις διὰ τὸ φεύγειν αὐτῶν τὸν πάππον ἐκ Συρακουσῶν, δόξαντα προσενήνοχέναι τὰς χεῖρας ἑνὶ τῶν Ἀγαθοκλέους υἱῶν Ἀγαθάρχῳ.* Sed ne quis inde quod unus Livius Hippocratem et Epicydem Punica matre natos esse tradit, colligendum esse existimet eum auctorem adiisse rerum abundantia praestantem Polybio, facillime, nemo opinor negabit, ex ipsis Polybi verbis Livianum illud potuisse conici.

Porro in eiusdem capitis paragrapho quarta Livius Appi Claudi nomen addit, cuius Sicilia tum erat provincia, cum Polybius dicat: *ὁ τεταγμένος ἐπὶ Λιλυβαίου στρατηγὸς τῶν Ῥωμαίων.* Sed ne hic quidem de alio scriptore cogitandum esse, quo cum accuratior esset Polybio, Livius usus sit, per se patet[2]). Etenim cum Livius in prio-

---

1) Bekker p. 551 v. 3.

2) Quamquam ne prohibemur quidem, quominus parum accurate a Constantinianis compilatoribus Polybi verba exhibita esse sumamus. Cuius rei adauget suspicionem, quod Ursinus posito asterisco post verba *τῶν Ῥωμαίων* locum mutilum esse ac mendosum indicat. Idem statuendum esse de verbis paulo infra extantibus: *εἴτ' ἐν μίσει ὄντων τῶν πρεσβευτῶν, εἴτ' ἐν μίσει ὄντων τῶν Καρχηδονίων* manifestum est. Quae ita in integrum constituere conatus est Ern.

ris libri capite XXX App. Claudium Pulchrum Siciliam sortitum esse provinciam narraverit, cuius etiam in eiusdem libri capite XXXXI mentionem fecit, nequaquam videtur mirum, quod etiam nostro loco nominatim eum attulerit. Omnia igitur, quae Livius exhibet ita sunt comparata, ut nusquam suspicandi ansam habeamus, eum ex alio pendere auctore atque Polybio. Iam vero inquirendum videtur, num in hacce operis Liviani particula eadem nobis occurrant indicia, quibus in quarta et quinta decade extantibus Nissenius probari affirmat, Livium a Polybio hausisse. Ac sane quidem negari non potest eam inter utrumque scriptorem intercedere rationem, ut copiosa Polybi narratio multis modis praecisa videatur apud Livium atque resecta. Ita in eo potissimum sibi indulsit, ut legatorum nomina a Polybio quam accuratissime exhibita, omitteret. Nam *Πολύκλειτον τὸν Κυρηναῖον καὶ Φιλόδημον τὸν Ἀργεῖον* ad Hannibalem, *Ἀγάθαρχον καὶ Ὀνησιγένη καὶ Ἱπποσθένη μετ' Ἀννίβου* Carthaginem ab Hieronymo missos esse unus Polybius est testis. Sicut vero in nominibus referendis neglegentior est Livius, ita etiam alia [1]) tamquam minus necessaria praetermisit, velut quae Polybius narrat fratres suos Hieronymum

---

Schulzius, ut scriberet: *εἶτ' ἐν μίσει ὄντων τῶν πρεσβευτῶν, εἶτ' ἐρεθιζόντων τῶν Καρχηδονίων.* Ac ne initium quidem fragmenti num ad amussim ipsis Polybi verbis respondeat satis constat. Etenim cum compertum habeamus compilatores illos in initio potissimum singulorum excerptorum quo rerum connexus posset cognosci textum Polybianum immutasse, utrum verba quae apud Livium in initio sunt cap. VI, „quod unum vinculum cum Romanis societatis erat," pro Romani scriptoris habenda sint additamento, an causa, quod in libris Polybianis iam non extant compilatorum incuria sit, in incerto relinquitur.

1) Etiam in eo neglegentiorem se praebuit Livius, quod quo in crimine Hippocratis et Epicydis fuisset avus, tacuit.

Alexandream misisse [1]). Porro cum Polybius duplicem Romanorum ad Hieronymum fuisse legationem memoriae prodat, Livius de una tantummodo verba facit, propterea opinor, quia nimis indignum populo Romano habuit, reguli illius societatem precibus efflagitasse. Eisdem de causis conloquium inter legatos Hieronymumque habitum, parum honorificum Romanis, Livius breviter potius significavit, quam accurate ad Polybiani exemplaris fidem exaravit. Idem cum multus sit Polybius in Leontinorum urbis situ exponendo, de eisdem rebus disputationem eis circumscriptam exhibuit cancellis, ut nisi quae necessaria erant ad locum, quo Hieronymus a coniuratis interfectus erat, definiendum, nihil omnino Polybianae descriptionis in suum usum converteret.

Quae cum ita sint, ne a vero aberrem non vereor, si eiusdem rationis vestigia deprehendisse mihi videor, qua Nissenius exemplis e quarta et quinta decade conlectis Livium in Graeco Polybi sermone vertendo usum esse docuit. Postquam de morte Hieronymi exposuit Polybius suffragium videtur tulisse de vita et moribus tyranni. Fragmentum enim e Constantiniani operis titulo *περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας* desumptum apud Bekkerum extat pag. 554 v. 24, cuius haec fere summa est, ut Hieronymum

---

1) Ad eam legationem haud scio an pertineant, quae in capitis XXVI parapapho prima Livius scribit: Heraclia erat filia Hieronis, uxor Zoippi, qui legatus ad regem Ptolemaeum missus voluntarium consciverat exilium. Tum certe illud „ἀδελφοὺς“ de sororum maritis esset intellegendum. Eius loquendi usus cum exempla mihi non praesto sint, eo adducor, ut etiam huic loco labeculam a compilatore adspersam esse credam, praesertim cum parum sit verisimile, strictim tantummodo Polybium eam legationem tetigisse. Ceterum in promptu est coniectura compilatorem propterea neglegentiorem fuisse in verbis Polybi exhibendis, ne duas legationes confunderet. Itaque in alio fortasse excerpto de legatione Alexandream missa copiosius ad Polybiani exemplaris fidem disputavit.

ab eorum annalium scriptorum defendat conviciis, qui neque Phalaridem neque Apollodorum ei aequavisse inhumana crudelitate in volgus ediderunt. Sed ne quis ab eo, quod etiam Livi iniquius de Hieronymo extat iudicium eorum existimet sententiae adminiculum addi posse, quibus Livium totum pendere e Polybio persuaderi nequeat, monendum videtur non ita disputare Polybium ut Syracusanum tyrannum ab omni culpa liberet, sed ut eos impugnet scriptores, qui neque in laudando neque in vituperando modum possint tenere. Itaque Livius in capitis quinti paragrapho quarta quae habet. „conspexere purpuram (sc. Hieronymi) ac diadema ac satellites armatos quadrigisque etiam alborum equorum interdum ex regia procedentem more Dionysi tyranni hunc tam superbum apparatum habitumque convenientis sequebantur contemptus omnium hominum, superbae aures, contumeliosa dicta rari aditus non alienis modo sed tutoribus etiam, libidines novae, inhumana crudelitas“ nequaquam ita sunt comparata, ut nullis machinis non possint Polybio abiudicari. Qui et ipse concedit parum honeste vixisse Hieronymum cum dicat [1]): *καὶ παῖς παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν, εἶτα μῆνας οὐ πλείους τριῶν καὶ δέκα βιώσας μετήλλαξε τὸν βίον· κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον ἕνα μέν τινα καὶ δεύτερον ἐστρεβλῶσθαι καί τινας τῶν φίλων καὶ τῶν ἄλλων Συρακουσίων ἀπεκτάνθαι δυνατόν κτλ.* Ceterum etiam Diodori [2]) extat fragmentum huc spectans: *ἐπετελεῖτο γὰρ γυναικῶν ὕβρεις καὶ τοὺς παῤῥησίᾳ χρωμένους τῶν φίλων ἀπέκτεινε καὶ πολλῶν ἀκρίτως οὐσίας ἐδήμευε καὶ τοῖς πρὸς χάριν ὁμιλοῦσιν ἐδωρεῖτο·* Itaque cum neque Livius neque Diodorus exaggeratam eorum secuti sint descriptionem, qui Hieronymum talem fuisse voluerunt, quo nihil esset in vitiis excellentius, quin verum

1) Bekker p. 554—55.
2) Diodor 26, 25.

viderim non dubito, si utriusque auctoris disputationem e Polybio pendere dico.

In sequentibus cum Liviana [1]) redeat narratio ad res in Italia gestas, neque Polybi neque alius rerum scriptoris conferre licet testimonium. Sed ne opus quidem est eis. Ipsa enim Livi verba nobis fontes eius inquisituris viam qua procedendum sit commonstrabunt. Nam primum quidem quae de rebus urbanis exposuit, Livium ex fontibus vernaculis hausisse quantum habeat probabilitatis non est quod pluribus disputem. Tum vero, quando in capite XVII de tertia Marcelli victoria apud Nolam reportata nos edocet, quod eisdem de causis huic Livianae descriptioni fidem derogamus, quibus iam supra adducti sumus, ut priores illas Marcelli victorias a Polybio alienas esse statueremus, nemo opinor mirabitur.

Inde a capite vigesimo primo unde deflexit redit Livius ad res in Sicilia gestas. Ac quamvis quidem nullum Polybi de eis superstes sit fragmentum, tamen accuratius nobis inspicientibus fieri non poterit, quin multa occurrant apud Livium, quae fontem Graecum redoleant. Ita ut unum afferam cum in capitis trigesimi terti paragrapho tertia scriptum extet: Romanus exercitus ad Olympium — Iovis id templum est — castra posuit, quam aliam putas fuisse causam, cur Livio vox illa „Olympium“ interpretanda videretur, nisi eam quod verbum apud Graecum auctorem repertum Romanis qui legerent habuit obscurius. Sed esto, neget quis pugnacissime Livium in hac particula certo modo evinci posse Polybianis institisse vestigiis. At quae nunc propospositi sumus argumenta ea aut vehementer fallimur aut simul spes est fore ut vel atrocissimis adversariis persuadeant Livium totum pendere a Polybio. Quae ut recte intellegantur paucis

1) Liv. c. 7, 10—20.

primum summa fragmenti [1]) Polybiani comprehendenda videtur, quod est de oppugnatione Syracusarum a Marcello et App. Claudio instituta, de qua Livius et ipse inde a capitis XXXIII paragrapho IX agit. Ac Polybius quidem App. Claudium narrat terra ab Hexapylo impetum fecisse, mari ab Achradina Marcellum. Quorum alterum sexaginta quinqueremibus murum petiisse, refertis sagittariis, funditoribus, velitibus qui propugnatores e muro propellerent. Aliis octo quinqueremibus additis, quacum binae, adempto interiore remorum ordine, invicem iunctae fuissent, exteriorum laterum remigio sambucas quas vocabant muris admotas esse. Quod machinamentorum ita esse frabicatum genus, ut scala quatuor lata pedes ex transverso cohaerentibus copulatarum navium lateribus imponeretur. Ei scalae praeterquam quod utrumque latus cancellis et loricatis munitum esset in summo gradu tabulam adhaesisse, tria latera cratibus munita habentem. Atque ei quidem insistenter quatuor homines cum muri defensoribus dimicasse, reliquos vero admota sambuca ad murum sine periculo eis succedere potuisse.

---

1) Fragmentum ab Hervagio primum e codice Urbinate in lucem emissum apud Bekkerum extat pag. 570. Sed cum vetus ille compilator a Marcelli impetu exordiatur in Achradinam facto, peropportune accidit, ut e Heronis libello de repellenda obsidione, initium fragmenti suppleri posset. Atque Heronem quidem multo neglegentiorem fuisse in verbis Polybianis exhibendis quam compilatorem anonymum Schweighaeuseri te docebunt annotationes ad Polybium tom VI. p. 439. Etiam e Suida lux affulsit loco ab Herone mendose exarato. Suidas enim sub voce *ἐργολάβος* haec habet: *οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πολιορκοῦντες τοὺς Συρακοσίους ἔργον εἴχοντο* cum Hero scribat: *τῶν γὰρ Ῥωμαίων πολιορκούντων τὴν Συράκουσαν.* Itaque etiam hoc loco luculentissimum habemus exemplum, initium potissimum singulorum excerptorum quo ad praecedentis disputationis aequabilitatem esset accomodatius a compilatoribus de industria immutatum esse.

Quibus omnibus ad oppugnationem iustructis nihilominus Marcellum successu caruisse, Archimedem enim tormentis variae magnitudinis praeparatis Romanos procul invadentes summis obstrictos tenuisse, difficultatibus et Marcellum noctis silentio naves propius admovere conatum, alio apparatu adversus eos, qui e navibus dimicarent praestructo, in fugam convertisse. Etenim ex altitudine fere staturae humanae crebris cavis cum murum perforasset, sagittariis ac scorpiunculis ab interiore parte muri appositis, eundem virum per ista hostem petentem inutilem reddidisse classiariorum Romanorum operam. Ubi vero sambucas erigere conarentur tollenonum rostra per totum murum dispositorum, carchesio quantum opus esset circumacta saxa graviaque plumbi pondera ope trochleae laxatoriae in scalas demisisse. Praeterea manum ferream catena religatam prorae iniectam esse. Quae ubi prorae partem prehendisset, machinae calce intra moenia deorsum adducta, et ut immota staret, religata, factum esse ut prora in altum sublata navis in puppim erigeretur. Tum vero proiecta subito e machina ferrea manu cum catena naves aut in latus concidisse aut prorsus eversas esse. Itaque et Marcellum et App. Claudium cum in easdem incidisset difficultates incepto destitisse. Quibus disputatis iam ad Livium nos convertamus. Atque in initio quidem Livianae descriptionis propterea admodum difficile videtur certiora eruere de ratione inter utrumque auctorem intercedente quia quousque pateant labes ab Herone Polybio inlatae prorsus ad liquidum non potest perduci. Certe quae nunc est fragmenti illius condicio, duo sunt apud Livium, quorum apud Heronem non fit mentio. Ita Romanus rerum scriptor unus App. Claudium et Marcellum dicit prospero successu, quod Leontinos terrore ac primo impetu cepissent ad spem elatos esse, fore ut simili modo Syracusis potirentur. Praeterea unus addit Archimedem unicum fuisse caeli siderumque spectatorem. Contra quae

Hero tradit sperasse duces Romanos intra quintum diem se Syracusas expugnaturos esse omisit Livius. Idem de App. Claudio posteriore demum loco verba fecit. Sed ut ad ea pergamus, de quibus certius poterit ferri iudicium primum numerum navium apud Livium deesse videmus a Marcello ad Achradinam admotarum. Nam murum [1]) inquit, qui ut ante dictum est, mari adluitur quinqueremibus Marcellus oppugnabat. Pergit paragrapho quinta: ex caeteris navibus sagittari funditoresque et velites etiam, quorum telum ad remittendum inhabile est imperitis, vix quemquam in muro sine volnere consistere patiebantur. In lectione ita a codicibus exhibita recentiores Livi editores Weissenbornius et Hertzius offenderunt. Ac Weissenbornius quidem fieri non posse ait, quin numerus quinqueremium, quibus Marcellus murum oppugnaverit e textu excidisse putandus sit. Itaque et ipse et Hertzius eum numerum, quem sexaginta fuisse e Polybio compertum habemus ita in textu collocarunt, ut scriberent: Achradinae murum, qui ut ante dictum est, mari adluitur LX quinqueremibus Marcellus oppugnabat et quae secuntur. Et sane quidem ablativus ille quinqueremibus non addito numero, alio modo significaret Syracusas oppugnatas esse quinqueremibus, alio ex ceteris navibus. Iam vero offensio, quam removere studuerunt viri docti, ne remanserit, equidem vereor. Etenim cum intellexerint locum non ita comparatum esse ut quinqueremes „ceteris navibus" oppositae sint, non assequor, quomodo illud ex ceteris navibus interpretari potuerint. Nam quod dicit Weissenbornius, verba „ex ceteris navibus" προληπτικῶς esse intellegenda et referenda ad: „aliae binae iunctae quinqueremes (par. VI), mihi ea interpretandi ratio prorsus videtur intolerabilis. Voce enim „hi" quae extat in paragraphi sextae

1) Liv. c. 34 § 4.

initio manifestum est, nullis machinis talem *πρόληψιν* scriptori inculcari posse. Quare ut dicam quod sentiam, scribendum videtur: Achradinae murum, qui ut ante dictum est, mari adluitur quinqueremibus Marcellus oppugnabat LX; ex eis navibus et quae secuntur.' Ceterum etiam in verbis: „aliae binae quinqueremes" nescio an numerus e Polybio restituendus sit VIII. Sed nondum missum facimus hunc locum. Etenim cum omnibus numeris utriusque auctoris narrationes inter se consentiant hoc loco, sane mirum videtur, quod Livius ad vocem velites annotat: quorum telum ad remittendum inhabile est imperitis Polybius enim *ἄνδρας ἔχοντας γρόσφους* exhibet nulla interpretatione addita. Sed tantum abest, ut Livianis eis ad alium fontem a Polybio relegemur, ut novum inde sententiae nostrae, Livium e Graeco auctore hausisse, praesidium petamus sustentandae. Quando enim Livius iam in libri XXI capite LV de velitibus exponit, omissa ea interpretatione, idemque in libri XXIII capite XXIX eorum mentionem facit, non addita annotatione, cur hoc loco accuratius de eis disserendum esse putaverit, causam non video nisi eam, quod in fonte suo vocem invenit inusitatiorem, quae interpretanda ei videretur. Atque eam quidem *γρόσφος* fuisse verisimillimum est [1]. In eis, quae adhuc perlustravimus apud Livium, neque talia reperimus, quae, cum aliena essent a Polybio ex alio fonte hausta statueremus, et indicia nequaquam

---

1) Ceterum quod Weissenbornius interpretationem eam Livianam a Polybiana discrepare dicit, quam in libri VI capite XXII proposuit: *τὸ δὲ γρόσφων βέλος ἔχει τῷ μὲν μήκει τὸ ξύλον ὡς ἐπίπαν δίπηχυ, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαῖον, τὸ δὲ κέντρον σπιθαμιαῖον, κατὰ τοσοῦτον, ἐπὶ λεπτὸν ἐξηλασμένον καὶ συνωξυσμένον ὥστε κατ' ἀνάγκην εὐθέως ἀπὸ τῆς πρώτης ἐμβολῆς κάμπτεσθαι καὶ μὴ δύνασθαι τοὺς πολεμίους ἀντιβάλλειν*, animum non attendit ad ea, quae addit Polybius: *εἰ δὲ μὴ κοινὸν γίγνεται τὸ βέλος.*

tenuia deprehendimus, quae Graecum monstrarent auctorem. Itaque ne quis in eo haereat, quod unus Livius sexaginta illas naves, quia spatio missilibus opus esset procul muro fuisse collocatas memoriae prodidit, talia saepissime Livium de suo addidisse memineris velim. Exemplorum copiam satis amplam conlegit Nissenius p. 23. In sequentibus fatendum est parum accurate a Livio Polybi sambucarum descriptionem expressam videri, cum naves illas, quarum binae invicem iunctae erant, turres dicat contabulatas machinamentaque alia quatiendis muris portasse. Sed vereor omnino ut subtilissimam Graeci hominis disputationem intellexerit. Quam suspicionem quominus profitear eorum non prohibeor indignatione, qui de gloria tam egregi rerum scriptoris me detrahere clamitent atque calumniari. Etenim cum satis constet, Livium eorum annalium scriptorum, qui Graece historias suas composuerant, Latina versione usum esse, tum vero haud rara et ea quidem luculentissima extent exempla [1]), ubi in vertendo Polybio prorsus a vero aberraverit, ne iusto videar audacior, si Livium Graece haud ita doctum fuisse dico, non vereor.

Iam cum de Archimedis machinamentis Livius verba faciat, neminem fugere potest, eum ante oculos habuisse exemplar Polybianum. Sed in eo exprimendo cum etiam ad artis rhetoricae leges verba studeret aptare, enunciatum lucratus est hoc tripartitum: in eas quae procul erant naves saxa ingenti pondere emittebat, propiores levioribus eoque magis crebris petebat telis; postremo, ut sui volnere intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum crebris cubitalibus fere cavis aperuit, per quae cava pars sagittis pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem. Quo factum, ut quae Polybius

1) conf. Nissen p. 32 et 33.

antequam de muro cavis perforato exponeret, de Marcelli impetu noctis silentio facto tradidit, omnino neglegenter praeteriret. Eadem est causa, ut aliam inter utrumque scriptorem videamus intercedere discrepantiam. Livius enim propterea murum cavis perforatum esse dicit, ut Syracusani tuti essent ab hostium telis, contra Polybius eo consilio hunc apparatum a Marcello praestructum esse volt, ut etiam eae naves, quae interiores essent ictibus tormentorum, e propinquo peti possent. Quoniam vero supersedit Livius de nocturno Marcelli impetu enarrare, iam coactus est aliam fingere causam, cur cavis Archimedes murum aperuerit. Quod vero Livius murum ab imo ad summum cavis instructum esse dicit cubitalibus, luculentissimum neglegentiae eius atque incuriae habemus exemplum. Ne quis enim, cum Polybius habeat: „ἕως ἀνδρομήκους ὕψους κατεπύκνωσε τρήμασι τὸ τεῖχος ὡς παλαιστιαίοις τὸ μέγεθος κατὰ τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν“ Livium alium fontem adiisse existimet, qui fieri potuerit, omnino non assequor, ut omnibus illis cavis defensores uterentur, nisi forte intra moenia tabulas singulas muro adhaesisse credis, quibus insistentes Syracusani per cava hostem peterent. Porro muro cavis cubitalibus perforato, nonne omnibus hostium telis defensores obiecti erant, quae ut vitarent apparatum illum ab Archimede praestructum esse Livius affirmat? Etiam in sequentibus haud rara extant vestigia parum accurate Livium Polybianum exemplar expressisse. Ita quae Graecus rerum scriptor de tollenonibus exposuit saxa graviaque plumbi pondera in sambucam demittentibus Romanus omnino praetermisit. Ac ne manus quidem ferreae usum eum recte intellexisse, inde licet conicere, quod ferrea inquit manus, firmae catenae inligata, cum iniecta prorae esset, gravique libramento plumbi recelleret ad solum et quae secuntur. Etenim non ipsam manum ferream ad solum recellere potuisse apparet, sed tollenonis calcem, quae intra murum erat.

Quod vero unus hoc loco de gravi plumbi libramento verba facit, nescio an animo eius Polybiana illa obversata sint ad alium apparatum spectantia: *ὄργανα παρ' ὅλον τὸ τεῖχος ἡτοιμάκει· τὸν μὲν λοιπὸν χρόνον ἀφανῆ κατὰ δὲ τὸν τῆς χρείας καιρὸν ἐκ τῶν ἔσω μερῶν ὑπὲρ τοῦ τείχους ἀνιστάμενα καὶ προπίπτοντα πολὺ τῆς ἐπάλξεως ταῖς κεραίαις. ὧν τινα μὲν ἐβάσταζε λίθους οὐκ ἐλάττους δέκα ταλάντων, τινὰ δὲ σηκώματα μολίβδινα.* Facete illud dictum, quod Marcello Polybius tribuit, Livius omisit. In ceteris vero omnibus numeris cum Graeci auctoris consentit narratione. Quem etiam ea redolent Liviana, quae quoniam ultra oppugnationem Syracusarum fragmentum non progreditur, cum ipsis verbis Polybianis comparare non licet. Livius enim in capitibus XXXV et XXXIX postquam Romanorum duces abstitisse ab oppugnatione enarravit, de Marcelli expeditione tradit, ad eas urbes recipiendas facta, quae ad Carthaginienses defecerant. Ac cum in capitis XXXV paragrapho III dicat: „ad Heracleam quam Minoam vocant, copias exposuit,“ porro cum in capitis XXXIX paragrapho XIII ita exhibeat: hibernacula quinque milia passuum Hexapylo — Leonta vocant locum — communiit aedificavitque.“ nemo non videt Graeci fontis nos hic habere vestigia. Ut breviter de Plutarcho [1]) quod sentio exponam, propius eum ad Polybianae quam ad Livianae narrationis similitudinem accedere in aperto est. Quae enim praetermisit Livius, velut accurratiorem sambucae descriptionem, et nocturnum Marcelli impetum Plutarchus exhibet. Quod vero etiam inter Polybium et Plutarchum minusculae sane intercedunt discrepantiae [2]), vereor ne iusto videamur timidiores, si ita de eis decernere dubitamus, ut Plutarchum ex memoria reddidisse Polybium statuamus. Quamquam Plutarchum etiam alios

1) Plutarch. Marcell. 14—19.

2) de quibus conf. Buchholz p. 37.

auctores inspexisse non sum nescius. Ut unum addam nulla ratio habenda est Dionis Cassi aut Zonarae [1]) quos cum praeter alias machinas etiam specula ad incendendas Romanorum naves Archimedem adhibuisse memorent, et a Polybio et a Livio manus abstinuisse perspicuum est.

Pergit Livius in capite XXXX ad res in Graecia gestas, quarum nihil apud Polybium servatum est, nisi forte fragmentum exiguum a Stephano Byzantio traditum huc spectare putas.. *λέγεται ἀρσενικῶς ὡς Πολύβιος ἑβδόμῳ οἱ δὲ τὸν Ὠρικὸν κατοικοῦντες, οἳ καὶ πρῶτοι κεῖνται περὶ τὴν εἰσβολὴν πρὸς τὸν Ἀδρίαν, ἐκ δεξιῶν εἰσπλέοντι.* In eo enim capite Livius Philippum narrat Oricum occupavisse, sed a M. Valerio receptum esse oppidum, cum leve tantum praesidium, rex recedens ibi reliquisset. Ac quamvis quidem propter casum, qui Polybiano operi accidit perniciosum, de ratione, quae hoc loco inter utrumque scriptorem intercesserit certa et indubia non possint erui, tamen, quod in sequentibus rerum in Graecia gestarum memoriam ex uno Polybio petiit, facere non possum quin etiam eam particulam ex eodem fonte haustam esse mihi persuadeam.

In sequentibus cum de rebus in Hispania gestis exponat, qui fructus nobis accuratius in eam narrationem inquirentibus nasci possit, cum Polybianum de eisdem rebus interciderit testimonium, ego non video. Itaque tum demum de fontibus, quibus Livius in enarrando bello Hispaniensi usus sit, in promptu erit iudicium, si ad Livianam disputationem quasi veri obrussam adhibuerimus Polybianam. Postquam inde a capite XXXXIII usque ad XXXXIV paragraphum nonam de rebus urbanis nunciavit, ad bellum Hannibalicum narratio denuo se convertit. Sed omnium earum rerum, quarum Livius testis est nullae apud

---

1) Dio Cass. apud Tzetz. Chil. II hist. 35, 24—35. Zonaras 9, 5.

Polybium superstites sunt reliquiae. Quae Appianus [1]) narrat cum Livio non consentiunt. Ille enim cum Dasium Arpinum Romam venisse tradat et cum senatu de Arporum proditione communicasse, Livius in castris Romanis memorat eum de eisdem egisse rebus. Sed haec hactenus. Nunc ad finem libri XXIV pergamus, ubi Syphacem a Poenis defecisse Livius narrat. Atque hic quidem facilius, quos auctores adierit, possumus odorari, quia verba, in capitis XXXXIX paragrapho V extantia: „Syphax cum paucis equitibus in Maurusios ex acie Numidas — extremi prope oceanum adversus Gadis colunt — refugit.“ Caelio deberi Antipatro Weissenborni probabilis est coniectura. Is enim et ipse, si Servio ad Verg. Aen. 4, 206, fidem habes ita in historiis suis exhibuit: „Maurusii, qui iuxta Oceanum colunt.“

Liber XXV.

Sicut prioris libri initio repetiit Livius quae iam antea quamvis strictim attigerat, ita primo huius libri capite de rebus tamquam in appendice exponit, quarum in libri XXIV mentionem facere supersedit; conf. Weissenbornium ad eum locum. Tum vero cum ad res urbanas pergat enarrandas, Livium nunquam fere in talibus referendis a fontibus vernaculis recessisse, ut fragmento Polybiano comprobare possimus, peropportune nobis accidit. Narrat enim Livius P. Cornelium Scipionem, cui postea Africano fuit cognomen aedilitatem petiisse. Cui inquit cum obsisterent tribuni plebis, negantes rationem eius habendam esse, quod nondum ad petendum legitima aetas esset „si me“ inquit „omnes Quirites aedilem facere volunt satis annorum habeo.“ tanto inde favore ad suffragium

1) Appian. bell. Hannib. c. 31.

ferendum discursum est in tribus, ut tribuni repente incepto destiterint. Qua de re quamvis similiter Polybius in libri X capite IV memoriae prodat, tamen cum in singulis multo copiosior sit Livius atque accuratior, eum e Polybio non pendere manifestum est.

In extremo capite septimo cum de Tarentinorum defectione narret Livius fragmentum Polybianum [1]) comparare licet in codice Urbinate repertum, cuius haec est summa: Philemenus et Nico Tarento egressi, tamquam expeditionem aliquo susciperent, noctu ubi castris Poenorum appropinquaverunt ad Hannibalem a custodiis comprehensi deducuntur. Quem de consilio suo ita edocent, ut variis criminationibus in Romanos usi, eorum sibi intolerabile videre imperium affirment. Dimissi ab Hannibale benigno responso, invitatique ut quam primum reverterentur paullo post de eis conveniunt condicionibus ut Tarentini ab Hannibale in libertatem a Romanorum dominatione vindicentur, nullum omnino Poeni ab eis exigant vectigal, neque ullam aliam rem eis imperent. Contra Carthaginiensibus potestas sit, urbe capta Romanorum domos ac diversoria diripiendi. Sed ne saepius exeundo suspicionem moveant se communicare cum Poenis Philemeno dant partes venatum exeundi. (Eum enim venatione nihil habere antiquius omnes opinabantur.) Qui non solum C. Livium praesidi Romani praefectum ferarum carnibus a se captarum sibi conciliat verum etiam portae custodem, cui Temenitidi erat cognomen. Quibus praeparatis diem cum Hannibale constituunt, quo praefectus Romani praesidi tempestivo convivio cum pluribus in Museo sit interfuturus. Tum Hannibal, ubi dies constitutus advenit, decem fere milibus peditum equitumque praeparatis, motis signis agmen raptim ducere instituit. Ne quis vero universas cernat copias, octoginta Numidas iubet stadia circiter XXX exercitum

1) Bekker 8, 26.

antecedere, et loca omnia circa vias incursare. Qui ut quindecim ferme milium spatio ab urbe absunt Hannibal agmen iubet consistere, et ducibus convocatis, ut omnes viros fortes se praebeant monet, ut excedere ordinem agminis neminem suorum patiantur, postremo ut ad imperia accipienda omnes intenti sint. Tum ubi iam contenebravit, primum agmen movet id studens ut ad muros circa mediam noctem perveniat. Dux est itineris Philemenus. Interea circa solis occasum C. Livio qui de die in Museum cum amicis convivaturus venit nuncius affertur, Numidas agrum populari. Ille vocatis nonnullis ducum ut prima luce dimidia pars equitum exeat edicit, ad arcendum populationibus agrorum hostem. Tum a Nicone, Tragisco, aliis praefectus praesidi vino gravis a coena rediens domum suam deducitur. Nico vero et Tragiscus, coniuratorum manu trifariam divisa, maxime opportunos quosque fori aditus praesidio tenent occupatos; ne aut eorum, quae foris adferantur quidquam ipsos lateat aut eorum quae in urbe contingant. Nocte vero iam provecta, cum totus ille a coena redeuntium strepitus praeterierit, Nico et Tragiscus, signo adventus ab Hannibale e Hyacinthi tumulo edito, faces attollunt et ad portam contendunt, ut excubantem in eius vestibulo stationem prius occidant, quam eodem Carthaginienses pervenerint. Re feliciter peracta, iusto tempore adest Hannibal, qui urbem ingressus forum petit. Interea Philemenus aliam portam aggressus muro iam proximus, ubi de more signum sibilo dedit, custos extemplo ad portulam descendit, et sperans quod auspicato venatus esse Philemenus videatur, ad se quoque nonnihil eam rem pertinere portam festinat aperire. Sed Philemenus cum quatuor aliis aprum portantibus portulam ingressi e vestigio custodem occidunt. Mox triginta Afris per portulam intro receptis ali vectes effringunt, ali excubantem ad portam stationem trucidant. Quo secto iam omnes forum petunt, Hannibalique se con-

iungunt. Qui duo milia Gallorum in tres partes divisa per urbem dimittit ducibus Tarentinorum coniuratis, ne cui civium vis inferatur. Iam vero C. Livius cognito hostium adventu domo confestim cum famulis egressus portam petit, qua itur ad portum. Tum scapha arrepta clam ad arcem defertur Secundum haec Philemenus e theatro tubis Romanis certos homines, qui eas inflare didicerunt signum dare iubet. Quo facto cum Romani auxili ferendi causa armati arcem versus accurrant, per plateas passim inordinatique advenientes partim a Poenis partim a Gallis occiduntur. Postero die evolgato Poenorum adventu Hannibal praeconio edicit, ut Tarentini omnes sine armis in forum conveniant. Eos benigne allocutus concionem dimittit simul praecipiens, redeant domum quisque suam et foribus inscribant: *Ταραντίνου*. Tum signo dato ad diripienda hospitia Romana discurritur. — Die insequenti Hannibal muro urbem ab arce statuit intersepire, ne quid deinceps Tarentini a Romano praesidio, quod arcem tenebat, timendum habeant. Sed ut primum iaci vallum coepit patefacta repente porta impetum Romani ex arce in munientes faciunt. Sed vi tandem coacti terga vertünt. Inde nullo iam opus prohibente vallo oppidum praemunitur. Tum Hannibal relicto praesidio idoneo, ad flumen Galaesum, quod quinque milia ab urbe abest, proficiscitur. Reversus inde ad opus inspiciendum, cum celerius perfectum esse videat de expugnanda arce iam cogitat. Sed Romani nocte impetu in opera facto omnia quae ad oppugnationem instructa habet corrumpunt. Quare desperans per vim posse expugnari arcem, a mari eam constituit Hannibal intercludere et convocatis Tarentinis consilium suum exponit. Quibus sententiam eius quam cupidissime amplectentibus, naves per siccum e portu transvehuntur in mare, et ante os ipsum portus ancoras iaciunt.

Eius fragmenti initium cum in medias res nos abri-

piat, Livius nos de rerum narratione quae antecesserit, edocet. Dicit enim Phileam Tarentinum, per speciem legationis Romae versantem obsides Tarentinos et Thurinos crebris conloquiis sollicitatos, eo adduxisse, ut e custodia effugerent. Quos comprehensos in foro adprobante populo virgis caesos et de saxo deiectos esse. Huius poena atrocitate animis Graecarum civitatium vehementer inritatis tredecim fere nobiles iuvenes Tarentinos coniurasse. Quorum principes fuisse Niconem et Philemenum. Iam eadem apud Livium sequitur narratio, quam apud Polybium extare vidimus. Ac Livium quidem e Polybio hausisse, cumulata habemus indicia. Etenim quoniam eandem rerum perpetuitatem uterque scriptor exhibet, Livius vero in verbis Polybio et pressior est et concinnior, legis, quam in vertendo Graeco sermone secutus est primariam, quod etiam in hacce particula Liviana servatae vestigia nobis videmur deprehendisse, non mirum est. Ita ut exemplum afferam, quomodo copiosam Polybi narrationem in brevius Livius contraxerit in capitis VII paragrapho IV: nocte, inquit, per speciem venandi egressi ex urbe ad eum, sc. Hannibalem proficiscuntur, et cum haud procul castris abessent, ceteri silva prope viam se occuluerunt, Nico et Philemenus regressi ad stationes comprehensique ultro id petentes ad Hannibalem deducti sunt. Contra Polybius ita tradit de eadem re: *ὡς ἐπ' ἐξοδίαν ὁρμήσαντες ἐκ τῆς πόλεως καὶ συνεγγίσαντες τῇ παρεμβολῇ τῶν Καρχηδονίων νυκτὸς, ἄλλοι μὲν συγκαθέντες εἰς τινα τόπον ὑλώδη παρὰ τὴν ὁδὸν ἔμειναν ὁ δὲ Φιλήμενος καὶ Νίκων προῆλθον πρὸς τὴν ἐμβολὴν. τῶν δὲ φυλάκων ἐπιλαβομένων αὐτῶν ἀνήγοντο πρὸς τὸν Ἀννίβαν, οὐδὲν εἰπόντες οὔτε πόθεν οὔτε τίνες ἦσαν, αὐτὸ δὲ μόνον τοῦτο δηλοῦντες, ὅτι θέλουσι τῷ στρα-*

---

1) Spectant huc sine dubio verba Polybiana a Suida sub voce *προσπεσόντων* tradita: *προςπεσόντων δὲ τοίτων εἰς Τάραντα καὶ τοὺς Θουρίους ἠγανάκτει τὰ πλήθη.*

τηγῷ συμμίξαι. Porro Polybianum illud ἀπελογίζοντο περὶ τε τῶν καθ' ἑαυτοὺς καὶ περὶ τῶν κατὰ τὴν πατρίδα, πολλὰς καὶ ποικίλας ποιούμενοι κατηγορίας Ῥωμαίων χάριν τοῦ μὴ δοκεῖν ἀλόγως ἐμβαίνειν εἰς τὴν ὑποκειμένην πρᾶξιν Livius ita vertit ut scriberet: cum et causas consili sui et quid pararent exposuissent.

In Graeco sermone Latine reddendo cum Livium eo propensum esse iam in confesso sit, ut saepe res tamquam minus necessarias omnino praetermittat, etiam in hac parte exempla eius rei nobis praesto sunt luculentissima. Ita quae Polybius memoriae prodidit: imperasse Hannibalem, ut exercitus quatuor dierum parata secum duceret cibaria, Livius omisit. Idem Numidas equites stadia circiter triginta exercitum antecessisse tacet. Quo fit, ut minus accurate Hannibalem narrat cum quindecim milia passuum ab urbe abesset agmen iussisse consistere. Polybius enim ἀποσχόντων inquit τῶν Νομάδων ὡς ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους ἐδειπνοποιήσατο παρά τινα δυσσύνοπτον καὶ φαραγγώδη ποταμόν. Ne quis vero existimet, etiam eo cerni Livi neglegentiam, quod in capitis octavi paragrapho decima nomen portae non addit, quam Polybius Temenidarum fuisse dicit, facere non possum quin in Graeci scriptoris verbis offendam. Qui cum Hannibalem ita oppido potitum esse narret, ut ipse διὰ πυλῶν Τημενίδων, Philemenus vero dux coniuratorum per aliam intraret portam, verba quae sunt in capite vigesimo septimo: διὸ τούτῳ μὲν ἐπέτρεψαν ἐξιδιάσασθαι διὰ τῶν ἁλισκομένων θηρίων, πρῶτον μὲν τὸν ἐπὶ τῆς πόλεως τεταγμένον Γάϊον Λίβιον, δεύτερον δὲ τοὺς φυλάττοντας τὸν πυλῶνα τὸν ὑπὸ τὰς Τημενίδας προςαγορευομένας πύλας suspicionem mihi movent. Etenim Philemenus, qui nocte semper specie venandi ad Hannibalem profectus erat, quo facilius sibi porta aperiretur, custodes partem praedae donando sibi conciliaverat. Qua propter

1) Bekker pag. 592 v. 5.

nequaquam est verisimile, eum per aliam atque adire consueverat portam cum Poenis in oppidum irrupisse. Omnem vero dubitationem eximunt ipsius Polybi verba in capite trigesimo primo extantia: *ὁ δὲ προειρημένος ἐγγίσας τῷ τείχει κατὰ τὸν ἐθισμὸν ἐπεὶ προςεσύριξε κτλ.* Apparet igitur Philemenum per eandem atque antea portam in urbem venisse. Itaque loco supra notato verba: *τὸν ὑπὸ τὰς Τημενίδας προςαγορευομένας πύλας* aut pro glossemate habenda sunt, aut labem traxerunt. — At multo gravior inter Livium et Polybium intercedit discrepantia, quod Romanus rerum scriptor C. Livi praesidi Tarentini praefecti nullam omnino facit mentionem. Ita quod Polybius in extremo capite XXVII diem proditores observasse ait, quo praefectus Romani praesidi tempestivo convivio cum pluribus in Museo esset interfuturus, Livius omnino praetermisit. Tum paulo infra in capitis XXIX initio, Polybius C. Livio narrat, poculis tunc maxime ferventibus, nunciatum esse, Numidas agrum populari. Contra Livius eadem fere inquit hora Tarentum fama praevenerat Numidas equites paucos populari agros terroremque late agrestibus iniecisse. Porro cum Polybius Niconem et Tragiscum affirmet praefectum vino gravem domum deduxisse, Livius eis utitur ambagibus ut dicat, ceteri proditores ea quae composita erant exspectabant. Quarum rerum memoriam cur Livius de industria obscuraverit eam fuisse causam, quod eum hominis puduit, in quem culpa Tarentinorum defectionis transferenda erat, facile est intellectu.

Diffusum Polybi narrandi genus sicut plurifariam in angustum coegit Livius, ita ne ei quidem desunt loci, quibus quo concinnior evadat oratio, textum Polybianum flosculis exornet rhetoricis. Ita Polybianum illud: *τῆς δὲ τῶν πολεμίων εἰσόδου καταφανοῦς ἤδη γενομένης τοῖς Ταραντίνοις πλήρης ἡ πόλις κραυγῆς ἐγίγνετο καὶ ταραχῆς παρηλλαγμένης* ita Livius exhibet: Iam tumultus erat clamor-

que, qualis esse in capta urbe solet, sed quid rei esset, nemo satis pro certo scire. Tarentini Romanos ad diripiendam urbem credere coortos; Romanis seditio aliqua cum fraude videri ab oppidanis mota. Idem cum Polybius tradat: *πρὸς οὓς* (sc. *οἳ συνηθροίζοντο εἰς τὴν ἀγοράν*) *Ἀννίβας φιλανθρώπους διελέχθη λόγους*: ibi inquit Hannibal benigne allocutus Tarentinos testatusque, praestitisset civibus eorum, quos ad Trasumenum aut ad Cannas cepisset, simul in dominationem superbam Romanorum invectus et quae secuntur. Porro verba Polybiana (c. 34) *ἔκρινε διατειχίσαι τὴν πόλιν ἀπὸ τῆς ἄκρας ἵνα μηδεὶς ἔτι φόβος ἐπικάθηται τοῖς Ταραντίνοις ἀπὸ τῶν κατεχόντων τὴν ἀκρόπολιν Ῥωμαίων*, quo verborum conclusionem magis rhetoricam lucraretur ita amplificavit, ut scriberet: ne aut se ipsum cura tuendi Tarentinos a maioribus rebus moraretur aut in relictos sine valido praesidio Tarentinos impetum ex arce cum vellent Romani facerent, vallo urbem ab arce intersaepire statuit. In fine denique descriptionis quae Polybius breviter comprehendit: *Ἀννίβας ἐδίδασκε τοὺς Ταραντίνους, ὡς ἐὰν ἀποκλεισθῶσι τῆς κατὰ θάλατταν ἐλπίδος οἱ τὴν ἄκραν τηροῦντες, παρὰ πόδας αὐτοὶ δι' αὑτῶν εἴξαντες, λείψουσι ταύτην, καὶ παραδώσουσι τὸν τόπον* Livius ita exprimit: Hannibal omnes praesentes difficultates exposuit; neque arcis tam munitae cernere viam expugnandae neque in obsidione quicquam habere spei, donec mari hostes potiantur; quod si naves sint, quibus commeatus invehi prohibeat, extemplo aut arce cessuros, aut dedituros se hostis. Similiter de suo addidisse putandus est Livius, quod in capitis XI paragrapho IX munitum est inquit iter, quo faciliora plaustra minorque moles in transitu esset. Itaque quoniam omnibus locis, quibus Livius Polybiana verba minus accurate Latine reddidit, causam perspicere licet, cur non ad verbum exemplar suum expresserit, ne quis in eo haereat, quod Romanus rerum scriptor tubam Romanam e theatro audi-

tam esse narrat (c. 10 § 4) inscienter a Graeco homine inflatam, contra Polybius habet: *μετὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον οἱ περὶ τὸν Φιλήμενον, ἡτοιμασμένοι σάλπιγγας Ῥωμαικάς, καί τινας τῶν αὐταῖς χρῆσθαι δυναμένων διὰ τὴν συνήθειαν, στάντες περὶ τὸ θέατρον, ἐσήμηναν*, an etiam hoc loco Livius de industria Polybianam mutaverit narrationem nescio, ne gravior Romanorum videretur clades. Sicut enim tacet omnino magnam Romanorum partim in Poenos partim in Gallos incidentium stragem esse editam, ita etiam eo discrepat a Polybio, quod dicit: et fuit praedae aliquantum, cum Graecus rerum scriptor Carthaginienses affirmet nihilo inferiorem spe sua praedam esse nanctos. Sed ut finem imponamus huic disputationis nostrae parti, satis multa mihi videor attulisse, quibus Livium hoc loco e Polybio hausisse ut credam adducor. Quamquam Romanum auctorem etiam alios qui de eisdem rebus memoriae prodiderunt inspexisse eo apparet, quod in extremo capite XI ceterum inquit defectio Tarentinorum utrum priore anno an hoc factum sit, in diversum auctores trahunt, plures propioresque aetate memoriae rerum hoc anno factum tradunt [1]).

De eisdem rebus cum etiam Appianus [2]) verba faciat, monendum videtur, eum neque Polybium neque Livium ducem secutum esse. Neque enim in nominibus coniuratorum referendis cum eis consentit, quoniam Cononeum principem eorum fuisse testis est, neque in ipsa defectionis descriptione.

In capite XII cum Livius de carminibus exponat Marcianis, parum esse verisimile, eum a fontibus recessisse vernaculis, non est, quod pluribus disputem. Pergit Livius inde a capite XIII ad Hannonis cladem apud

---

1) confer. Weissenbornium ad eum locum.

2) Appian. bellum Hannibal. c. 32.

Beneventum acceptam. De eadem re conferre licet Appianum [1]). Eum alios abhibuisse fontes atque Livium illud est documento, quod non Hannonis sed ipsius Hannibalis castra expugnata esse narrat. Sicut de eis rebus Polybi iam non extat testimonium ita quod etiam in sequentibus ubi Livius Thurinorum et Metapontinorum tradit defectionem comparare eum non possumus, sane dolendum est. Etenim Livium etiam in hacce historiarum particula pendere e Polybio eam suspicandi habemus ansam, quod in capitis XV paragrapho VII dicit: hoc idem eadem ora maris et Thurini fecerunt. movit eos non Tarentinorum magis defectio Metapontinorumque quibus indidem ex Achaia oriundi etiam cognatione iuncti erant quam ira in Romanos propter obsides nuper interfectos. Talia enim de Graecarum in Italia coloniarum origine parum est verisimile Livium e Romanorum annalium scriptoribus desumere potuisse. Quam suspicionem adauget, quod Appianus, quem in describenda Tarentinorum defectione fontes Romanos adhibuisse probabilis est coniectura, etiam hoc loco discrepat a Livio, qui cum naves frumento onustas inter hostium custodias in portum Tarentinum venisse narret, Appianus [2]) a Tarentinis interceptas eas esse refert. Inde ab extremo capite XV cum ad obsidionem Capuae Livius pergat enarrandam de Ti. Gracchi morte exponit, de qua Polybianum conferre licet fragmentum apud Bekkerum p. 566. Sed cum multus sit Livius in ea re enarranda Polybius breviter Gracchum annotat, insidiis circumventum, occisum esse, digressionem sibi indulgens longiorem de cautione a ducibus ubivis adhibenda. Itaque cum ipsa Polybi rei enarratio ad nostram non pervenerit aetatem, vereor ut ad liquidum possit perduci quae ratio inter utrumque

1) Appian. bell. Hannib. c. 37.

2) Appian. bell. Hannib. c. 34.

scriptorem intercesserit. Ceterum Livium varias eius rei narrationes cognitas habuisse, ipse testatur cum dicat: adeo nec locus nec ratio mortis in viro tam claro et insigni constat. Appianus [1] aliis atque Livio fontibus usus est, qui Gracchum narret cum triginta equitibus in insidias incidisse. Contra Livius eum cum lictoribus ac turma equitum e castris profectum duce hospite in insidias praecipitatum esse volt. Porro Hannibalem tres dumtaxat equites capere potuisse unus Appianus est testis. Certe eos secutus est, qui Gracchum in Lucania mortuum esse narraverant. Etiam Diodori de ea re extat fragmentum. Quem [2] et ipsum eorum exhibuisse narrationem concedendum est, qui in Lucania rem gestam esse tradiderant.

De certamine inter Crispinum et Badium facto, cuius Livius memoriam servavit in c. XVIII iam supra disputavimus. Pergit ad cladem a Centenio acceptam. Eiusdem rei Appianus quamvis et tempore et loco mutato facit mentionem. Etenim quae Livius in Lucania quo tempore Capua a consulibus Romanis iam obsessa fuit, gesta esse narrat, Appianus [3] in Umbria ad Plestinam paludem eodem anno quo ad lacum Trasumenum pugnatum est, facta affirmat. Sed ut omissis aliis ad ea pergat disputatio in quibus confidenter spero fore ut certiora de Livi fontibus eruamus, inde a capite XXIII de Syracusarum expugnatione Livius memoriae prodidit. Ac sane quidem exigua sunt fragmenta Polybiana huc spectantia. Ita a Suida sub voce *συννόμων* haec habemus tradita: *ἐξηριθμήσατο τοὺς δόμους, ἦν γὰρ ἐκ συννόμων λίθων ᾠκοδομημένος, ὥστε καὶ λίαν εὐσυλλόγιστον εἶναι τὴν ἀπὸ γῆς τῶν ἐπάλξεων ἀπόστασιν.* Quibus respondere nemo non videt

1) Appian bell. Hann. c. 35.

2) Diodor 26, 26.

3) Appian bell. Hann. c. 9. et 11.

4) de vocabuli *δόμος* usu conf. Herodot 1, 179.

Liviana, quae sunt in capitis XXIII paragrapho XI: murum contemplans, numerando lapides aestimandoque ipse secum, quid in fronte paterent singuli, altitudinem muri, quantum proxime coniectura potuit. Praeterea e Constantiniano titulo περὶ γνωμῶν verba servata sunt: μαθὼν δ' ἐξ αὐτομόλου, διασαφήσαντος ὅτι ἑορτὴν ἄγουσι πάνδημον ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας καὶ τοῖς μὲν σιτίοις λιτοῖς χρῶνται διὰ τὴν σπάνιν τῷ δὲ οἴνῳ δαψιλεῖ προσαναπαυσάμενος τὴν τοῦ τείχους ταπεινότητα ἐπεβάλετο καταπειράζειν τῆς ἐλπίδος. Quibuscum Livium conspirare manifestum est cum dicat: occasionem obtulit transfuga, nuncians diem festum agi Dianae per triduum, et quia alia in obsidione desint, vino largius epulas celebrari. Similiter quae Hero tradit: ταχὺ δὲ κλιμάκων δύο συντεθεισῶν ἐγένοντο κύριοι τῶν πύργων. εἰς γὰρ τοὺς πύργους ἠθροισμένοι διὰ τὴν θυσίαν οἱ μὲν ἀκμὴν ἔπινον οἱ δ' ἐκοιμῶντο πάλαι μεθυσκόμενοι διὸ καὶ ἔλαθον αὐτοὺς ἀποκτείναντες, denique quae apud Suidam extant sub vocibus: ἀπόστασις et Ἐπιπολάς: οὐδενὸς ἐπεγνωκότος τῶν πολιτῶν τὸ συμβαῖνον διὰ τὴν ἀπόστασιν ἅτε μεγάλης οὔσης τῆς πόλεως et τοὺς δὲ Ῥωμαίους θαρρεῖν συνέβαινε κρατοῦντας τοῦ περὶ τὰς Ἐπιπολὰς τόπου prorsus conspirant cum Liviana narratione. In qua et alia satis multa occurrunt indicia, quae de fontibus quibus Livius usus sit inquirentes nos ad Graecum relegent auctorem. Ita in capitis XXIII paragrapho X ad portam inquit Trogilorum propter turrim, quam vocant Galeagram. Porro in sequentis capitis paragrapho VIII ab insula quam ipsi Nason vocant, tum in capitis XXV paragrapho V inter Neapolim ac Tycham — nomina ea partium urbis et instar urbium sunt. — Quae, ut alia omittam, satis probant Livium ex Graeco fonte hausisse. Iam ut aliorum de eisdem rebus afferam testimonia, Zonaras [1]) omnia breviter perstringens nihil,

---

1) Zonaras 9, 5.

habet, quod dissentiat a Livio. Plutarchum non facio, cum Buchholzio, ut e communi cum Polybio credam hausisse fonte. Quem cum etiam antea in oppugnationis Syracusarum descriptione Polybium ducem secutum esse viderimus, cur hoc loco ab eo recesserit causam non intellego. Discrepantias enim quas Buchholzius inter utrumque scriptorem intercedere monet eiusmodi esse quibus, si Plutarchum statuimus e memoria Polybianam narrationem reddisse, nequaquam offendamur, in aperto est.

Postquam in extremo capite XXXI de expeditione Livius exposuit a. T. Otacilio in Africam suscepta ad Scipionum mortem pergit enarrandam. Huc referendum videtur fragmentum sane exiguum a Suida sub voce *κανθήλια* traditum [1]): *σὺν γάρ τοῖς ἐπιδεδεμένοις φορτίοις τὰ κανθήλια λαβόντας ἐκ τῶν ὄπισθεν, προθέσθαι πρὸ αὐτῶν ἐκέλευσε καὶ τοὺς πεζοὺς οὗ γενομένου συνέβη παρὰ πάντας χάρακας ἀσφαλέστατον γενέσθαι τὸ πρόβλημα.* Contra Livius in capitis XXXVI paragrapho VII ut tamen inquit aliquam imaginem valli obicerent, clitellas inligatas oneribus velut struentes ad altitudinem solitam circumdabant cumulo sarcinarum omnis generis obiecto, ubi ad moliendum clitellae defuerunt. Apparet igitur contrarium Livium de valli illius firmitate iudicium tulisse Polybiano. Ceterum Livium hoc loco fontes adisse vernaculos etiam inde colligi potest, quod in capite XXXIX auctores affert Claudium, Valerium, Pisonem. Cum Liviana narratione ne hic quidem consentit Appianus [2]), qui Cn. Scipionem in turri aliqua ab hostibus incensa cum omni comitatu concrematum esse volt.

In extremo libro XXV iterum Livius ad bellum Siculum sese convertit. Ac quamvis quidem Polybiana earum rerum non extet narratio, tamen multa apud Li-

1) Bekker 602.

2) Appian H. 16.

vium reperiuntur, quae Graecum redoleant fontem. Ita ut unum afferam cum in capitis XL paragrapho V dicat: dux tertius novus ab Hannibale in locum Hippocratis missus Libyphoenicum generis Hippacritanus — Muttinen populares vocabant — et quae secuntur, id nomen si in fonte reperisset Romano, non puto eum tanta vi ac gravitate pronunciaturum fuisse. Ceterum non ante quintam paragraphum Polybium videtur adiisse Livius. Quae enim antea de templis exponit Romae a Marcello dedicatis propterea meo quidem iudicio Polybio abiudicanda sunt, quod iniquius ille suffragium tulit de signis tabulisque a Marcello Syracusis Romam devectis[1]). In extremo capite quae Livius de rebus exponit urbanis, e fontibus vernaculis desumpta esse, non est cur pluribus disputem.

Liber XXVI.

Similiter de proximi libri initio est iudicandum.

Inde a capite quarto pergit Livius ad obsidionem Capuae enarrandam. Atque hic quidem fragmentum comparare licet Polybianum codice Urbinate comprehensum apud Bekkerum 9, 3—9. Qua de re ut breviter quod sentio dicam, quin Livius fontes Romanos adhibuerit, non dubito. Nam cum Romanus rerum scriptor proelium inter Romanorum duces et Hannibalem fuisse acerrimum narret, ita ut octo milia hominum de Carthaginiensium exercitu, tria ex Campanis caederentur eo die, Polybius ne ex eorum quidem est numero apud quos nequaquam tantam molem pugnae Livius se invenisse testatur. Illi enim cum plus pavoris quam certaminis fuisse traderent,

1) conf. Bekker p. 618.

cum inopinato in castra Romana Numidae Hispanique cum elephantis inrupissent, Polybius nihil omnino de pugna exhibet. Porro Livius Hannibalem per Latium Romam iter fecisse memoriae prodidit, contra Polybius per Samnitium fines. Cum Graecus rerum scriptor Hannibalem tam raptim profectum esse velit, ut Anienem amnem copias traduceret, dum Romani qui in urbe essent adhuc in Capuam omnes cogitationes defixas haberent, Livius Hannibalis consilium iam antea notum fuisse Romanis affirmat. Praeterea ea inter utrumque intercedit discrepantia, quod Livius Q. Fulvium cum quindecim milibus peditum, mille equitibus Capua obsidenda Romam auxilio venisse narrat, Polybius duces Romanos in obsidione Capuae mansisse est testis. Sed haec hactenus. Nunc eo velim animum attendas Livium in capitis XI paragrapho V ita scribere; minuere etiam spem eius duae aliae parva magnaque res: illa quod cum ipse ad moenia urbis Romae armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum Hispaniae profectos audiit. Iam vero cum de Scipionum morte in prioris libri capitibus XXXII—XXXVI Livius exposuerit, sane mirum videtur anno post eam cladem milites in supplementum exercitus Hispaniensis mitti, ut nihil de eo dicam, quam sit alienum a verisimilitudinis specie, Romanos in tanto periculo tantum abfuisse ut copias ad defendendam urbem undique convocarent, ut eas ex ipsa urbe in alienam mitterent terram. Quae re in mentem mihi venit, ita fortasse eum locum posse conformari, ut nuncium alicunde acceptum sumamus a Romano annalium scriptore, quem Livius secutus est, non recte esse intellectum. Etenim monendum videtur eo anno quo Hannibal ante Romae portas castra habuit, consules fuisse Cn. Fulvium Centumalum et P. Sulpicium Galbam. Quos eadem cum Scipionibus habuisse praenomina quivis intellegit. Atque eorum quidem consulum ita apud Polybium mentionem factam esse videmus ut scriberet: *οἱ γὰρ*

περὶ τὸν Γνάϊον καὶ Πόπλιον, τοῦ μὲν ἑνὸς στρατοπέδου πρότερον πεποιημένοι τὴν καταγραφὴν, ἐνόρκους εἶχον τοὺς στρατιώτας, εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἥξειν ἐν τοῖς ὅπλοις εἰς τὴν Ῥώμην τοῦ δ' ἑτέρου τότε τὰς καταγραφὰς ἐποιοῦντο καὶ δοκιμασίας κτλ. Itaque haud scio an Romanus annalium scriptor cuius Livius hoc loco institit vestigiis, eodem cum Polybio fonte usus, quae de Cneio et Publio consulibus tradita reperiret, praenominum similitudine deceptus falso de Scipionibus interpretatus sit. Quod eo facilius fieri potuit, si fontem illum utriusque communem Graecum fuisse statuimus. Sicut enim Polybius in Romanis nominibus referendis praenomina tantum exhibere solet, ita etiam in fonte eius factum esse probabilis est coniectura. Iam vero reputantibus nobis, qui fuerit ille Romanus annalium scriptor, de nullo alio cogitari potest nisi de Caelio Antipatro [1]). Eum enim hoc loco a Livio adhibitum esse verba docent, quae sunt in capitis XI paragrapho X: Coelius Romam euntem ab Ereto devertisse eo Hannibalem tradit et quae secuntur. Eundem scriptorem non solum fontes vernaculos secutum esse, verum etiam Graecos Sileni annales inspexisse Ciceronis extat testimonium de divinatione 1, 24, 48. Silenum vero etiam Polybi fuisse fontem, quominus sumamus id non est impedimento, quod nominatim eum auctorem non attulit. Quoniam enim tum demum aliorum scriptorum mentionem facit, si impugnandi videntur, arrisisse Polybio Sileni narrationem proclive est suspicatu [2]). Appiani [3]) de eisdem rebus testimonium neque cum Liviana conspirat disputatione neque

---

1) Coelium Antipatrum ad Polybianae narrationis similitudinem hoc loco proxime accessisse etiam inde licet colligere, quod eadem via Hannibalem Romam contendisse tradidit. conf. Liv. II § 10 et quae secuntur.

2) conf. Bujack de Sileno scriptore Hannibalis.

3) Appian bell. Hann. 38—40.

cum Polybiana. Propius ad Livium accedit in eis, quae de Capuae expugnatione memoriae prodidit. Ac ne apud Zonaram [1]) quidem quicquam est, quod a Liviana narratione alienum sit. Pergit Livius in capite XVII ac cum in c. XIX de P. Scipione P. Scipionis filio in Hispaniam misso exponat comparare licet Polybium, qui et ipse inde a libri X. capite altero de ingenio Scipionis et vita publica antea peracta verba facit. Ceterum ne hoc quidem loco Livium consuluisse Polybium equidem mihi persuasi. Nam quae dicit Livius in capitis XIX p. III: „fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab inventa in ostentationem earum compositus, pleraque apud multitudinem aut ut per nocturnas visa species aut velut divinitus mente monita agens, sive et ipse capti quadam superstitione animi, sine cunctatione exsequerentur" apparet aliter se habere Polybi iudicium, qui in capite V ita exhibet: ὥστε τὸν Πόπλιον ἐκ τοῦ συμβαίνοντος δοκεῖν πᾶσι τοῖς προσακούουσι τῶν ἐνυπνίων, μὴ μόνον κατὰ τὸν ὕπνον, ἔτι δὲ μᾶλλον ὕπαρ καὶ μεθ' ἡμέραν διαλέγεσθαι τοῖς θεοῖς, ὧν οὐδὲν ἦν ἐνύπνιον ἀλλὰ ὑπάρχειν κτλ. Quamquam verba quae extant apud Livium in capitis XIX paragrapho XI: Emporiis, urbe Graeca — oriundi et ipsi a Phocaea sunt — copias exposuit Graecum fontem videntur redolere. Sed de eo loco aptius infra disputabimus. Alia discrepantia eo cernitur, quod Livius in capitis XX p. VI in hiberna inquit diversi concesserant, Hasdrubal Gisgonis usque ad Oceanum et Gadis Mago in mediterranea maxime supra Castulonensem saltum; Hasdrubal Hamilcaris filius proximus Hibero circa Saguntum hibernavit. Contra Polybius in capite VII scribit: ηὕρηκε τὰς μὲν δυνάμεις τῶν Καρχηδονίων εἰς τρία μέρη διῃρημένας, ὧν Μάγωνα μὲν ἐπυνθάνετο διατρίβειν ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν ἐν τοῖς Κονίοις προσαγορευομέ-

1) Zonaras 9, 6.

νοις, Ἀσδρούβαν δὲ τὸν Γίσκωνος περὶ Τάγου ποταμοῦ στόμα κατὰ τὴν Λυσιτανὴν, τὸν δ' ἕτερον Ἀσδρούβαν πολιορκεῖν τινὰ πόλιν ἐν τοῖς Καρπητανοῖς, κτλ.

In extremo capite XX Livius narrat Punicam classem Tarentum ex Sicilia accitam esse ad arcendos commeatus praesidi Romani. Quam diutius assidendo artiorem annonam sociis quam hosti fecisse, ita ut maiore tandem gratia quam venisset, dimitteretur. Cum ea narratiuncula conferendum est fragmentum Polybi ab Herone servatum apud Bekkerum 9, 3 pag. 613. Sed cum antea Livium in Tarentinorum defectionis descriptione Polybi vestigiis institisse in propatulo fuerit, graviorem hoc loco inter utrumque scriptorem intercedere discrepantiam nemo non videt. Nam cum Livius Romanos in arce inclusos referat a Tarentinis obsidione pressos esse, Polybius Punicam classem propterea ait venisse, ut Tarentinis a Romanis obsessis auxilium ferret. Quamquam negari non potest Liviana verba: tandem maiori gratia quam venerat classis dimissa est ad similitudinem comparata videri Polybianorum: μετὰ παρακλήσεως πρότερον ἀφικέσθαι ἐκβιασθεὶς καὶ ὑποσχέσεων μεγάλων, ὕστερον μετ' ἐπηρείας τῶν ἔνδον ἀποπλεῦσαι ἠναγκάσθη. Ceterum ne quis iusto nimis discrepantiam illam supra notatam premens de hoc loco iam actum esse existimet, scrupulus mihi residet, num ad verbum recte Hero Polybium expresserit. Quem cum iam supra admodum neglegentem in verbis Polybi referendis deprehenderimus quod etiam hoc loco fidem ei habeamus minorem, non mirum est. In sequentibus capitibus cum de Marcelli exponat triumpho et de rebus disputet urbanis, Livium fontes secutum esse vernaculos, veri simillimum est. Sed inde a capite XXIV cum ad res in Graecia gestas pergat, aliter nobis iudicandum erit. Spectant huc quae Polybius Lyciscum Acarnanum oratione disputantem facit, in libri noni capite XXXII et sequentibus. Quae enim Livius in capitis XXIV paragrapho XV

narrat, Laevinum Zacynthum praeter arcem vi cepisse, Oeniadas vero Nasumque Acarnanum captas Aetolis tribuisse, tum in capitis XXVI paragrapho III Anticyram urbem intra paucos dies receptam per deditionem Aetolis a Laevino traditam esse, Lyciscus in oratione illa significat, cum dicat: *ἤδη παρῄρηνται μὲν Ἀκαρνάνων Οἰνιάδας καὶ Νῆσον. κατέσχον δὲ πρώην τὴν τῶν ταλαιπώρων Ἀντικυρέων πόλιν κτλ.* Atque omnino quidem talis est Livi narratio, quae quin e Polybio desumpta sit, mihi non dubium videtur. Ita ut unum afferam, quem alium rerum scriptorem ea putas redolere, quae Livius de expeditionibus Philippi contra Illyrios, Thraces, Maedos susceptis memoriae prodidit, nisi Polybium. Accedit, quod fragmenta Polybiana a Suida servata optime cum Liviana conspirant narratione. Ita cum Suidas sub voce *ἀπαλγοῦντες* habeat: *οἱ δὲ Ἀκαρνᾶνες πυνθανόμενοι τὴν τῶν Αἰτωλῶν ἔφοδον ἐπὶ σφᾶς, τὰ μὲν ἀπαλγοῦντες ταῖς ἐλπίσιν τὰ δὲ καὶ θυμομαχοῦντες, ἐπί τινα παράστασιν κατήντησαν*, porro quae sub voce *ἐναύειν* tradit: *εἰ δέ τις λειπόμενος μὲν θάνοι, φύγοι δὲ τὸν κίνδυνον, τοῦτον μήτε πόλει δέχεσθαι μήτε πῦρ ἐναύειν· περὶ τούτων ἀρὰς ἐποιήσαντο πᾶσι μὲν μάλιστα δὲ τοῖς Ἠπειρώταις, εἰς τὸ μηδένα τῶν φευγόντων δέξασθαι τῇ χώρᾳ* similiter Liviana comparata esse apparet quae sunt in capitis XXV paragrapho X: adversus quos Acarnanum gens et viribus impar et iam Oeniadas Nasumque amissa cernens Romanaque insuper ingruere arma ira magis instruit quam consilio bellum. coniugibus liberisque et senioribus super sexaginta annos in propinquam Epirum missis ab quindecim ad sexaginta annos coniurant nisi victores se non redituros: qui victus acie excessisset, eum ne quis urbe tecto lare reciperet, diram exsecrationem in populares, obtestationem quam sanctissimam potuerunt adversus hospites composuerunt, precatique simul Epirotas sunt, ut qui suorum in acie cecidissent, eos uno tumulo contegerent, adicerentque humatis titulum: hic

siti sunt Acarnanes, qui adversus vim atque iniuriam Aetolorum pro patria pugnantes mortem occubuerunt. Ceterum etiam Iustini[1]) de eisdem rebus extat testimonium. Quem Trogi Pompei excerpsisse historias constat. Quamquam cum nimis breviter Iustinus Trogi narrationem perstrinxisse videatur, ut magnus nobis cum Livio eum comparantibus fructus percipi possit, ego vereor. Id unum novum ex eo compertum habemus, Dardanos impetum in Macedoniae fines facto abductisque viginti milibus captivorum Philippum a Romano bello ad tuendum regnum revocasse. Ceterum id quoque verisimillimum est Trogum Pompeium e Polybio hausisse.

De eis quae in sequentibus capitibus narrat Livius, ne multus sim, de rebus urbanis potissimum sermonem fieri, satis esto monere. In capite trigesimo octavo Livius Salapiam Romanis traditam esse narrat. Quam narratiunculam cum Polybianum non praesto sit fragmentum unde delibaverit Livius in incerto relinquitur. Alios certe fontes Appianus[2]) adiisse videtur. Pergit Livius in proximo capite ad proelium navale apud Tarentum commissum describendum. Sed quamvis ne eius quidem rei apud Polybium servata sint vestigia, tamen fontem Graecum redolere videntur quod Livius „sed circa Crotonem, inquit, Sybarimque suppleverat remigio navis“ et quae secuntur. Nomen enim Sybaris nusquam alias reperimus apud Livium. In capite XXXX denuo ad bellum Siculum Livius se convertit. Ac quoniam de Agrigento a Laevino expugnato verba facit huc referendum videtur fragmentum Polybianum apud Bekkerum 9, 27, quo de situ urbis edocemur. Praeterea sine dubio verba huc spectant a Suida tradita sub voce *ἐφ' ᾧ· ὁ δὲ Μάρκος δοὺς πίστεις ὑπὲρ ἀσφαλείας ἔπεισεν αὐτοὺς ἐκχωρεῖν εἰς Ἰταλίαν, ἐφ'*

1) Iustin 29, 4.

2) Appian. Hann. c. 45.

ᾧ λαμβάνοντας μέτρημα παρὰ τῶν Ῥηγίνων πορθεῖν τὴν Βρεττιανὴν κυρίους ὄντας ὧν ἂν ἐκ τῆς πολεμίας ὠφεληθῶσιν. Similiter enim Livius Laevinum narrat inconditam multitudinem secum in Italiam transvexisse: „hoc inquit neque relinquere Laevinus in insula tum primum nova pace coalescente velut materiam novandis rebus satis tutum ratus est, et Reginis usui futuri erant ad populandum Bruttium agrum adsuetam latrociniis quaerentibus manum.“ Itaque ne a vero aberrem non vereor, si etiam in ea historiarum parte Livium e Polybio pendere dico.

In extremo libro vigesimo sexto cum pergat Livius ad res a Scipione in Hispania gestas enarrandas, Polybianae disputationis longius extat fragmentum apud Bekkerum 10, 6. Ac primum quidem monendum videtur, Livianam narrationem saepe multo copiosiorem esse Polybiana. Ita cum Graecus rerum scriptor, Scipionem copias in unum convocatas ita adhortatum esse velit, ut hostium monstraret procul alium ab alio metari castra, sociorum vero omnium animos Carthaginienses ipsos a se abalienasse, apud Livium Scipio militibus primum gratias agit propter fortitudinem in pugnis antea commissis comprobatam. Pergit ad mala illa enumeranda, quae tantum absit, ut virtutem Romanam labefactaverint, ut in quibus pulcherrimo modo immobilis atque integra steterit. Tum et ipse de Carthaginiensium condicione verba facit iam in deterius mutata. In sequentibus cum uterque de copiarum numero exponat, ea est discrepantia quod Polybius Scipionem dicit quingentos equites, Livius trecentos reliquisse. Sed in eo ne haereas, facile eum numerum labem trahere potuisse in aperto est. Porro cum consilium Scipionis exponant, in universum quidem inter se consentiunt sed addit Polybius eo inprimis Scipionem adductum esse, ut Carthaginem novam aggrederetur, quod parvo praesidio eam teneri compertum habuisset. Atque eam omnino hoc loco inter utrumque videmus intercedere rationem, ut cum

Livius breviter causas comprehendat, de quibus non singulos Carthaginiensium exercitus aggredi, sed urbem illam oppugnare statuerit Scipio, Polybius id potissimum agat, ut sententiae suae de Scipionis ingenio antea latae praesidium ex ipsa harum rerum narratione petat sustentandae. Itaque non in eo acquiescit, ut Scipionis consilium quam accuratissime ante oculos proponat, sed quo melius prudentia eius viri intellegi possit, omnia quae ad rem facere viderentur sub unum conlegit conspectum. Iam cum ad ipsam rerum pergant narrationem in singulis Livius copiosior est Polybio. Ita unius narrat C. Laelium iussum esse a Scipione ita navium cursum moderari, ut eodem tempore exercitus ostenderetur, et classis portum intraret. Contra in eo Polybio est accuratior, quod de situ urbis exponens collium nomina affert oppido adiacentium. In oratione ad milites habita cum apud Livium Scipionem videamus emolumenta enumerantem, quorum oppido expugnato participes futuri sint, breviter Polybius haec omnia perstringit dicens: συγκεφαλαιωσάμενος τὴν ἐκ τοῦ κατορθώματος ἐλάττωσιν μὲν τῶν ὑπεναντίων αὔξησιν δὲ τῶν σφετέρων πραγμάτων. Quamquam addit militibus Scipionem coronas aureas promisisse, qui primi murum conscendissent, eumque etiam illud adicientem facit: Neptunum per somnum sibi adstitisse et incepti suscipiendi consilium suggessisse. In sequentibus monendum videtur Livium, quamquam in universum cum Polybio consentit, tamen eo discrepare ab illo, quod Scipionem narrat in tumulum, quem Mercuri vocant egressum ad proelium animum attendisse. Cuius tumuli neque hoc loco mentionem fecit Polybius neque antea, ubi de situ urbis exposuit. Alia paullo infra discrepantia in eo cernitur, quod in capitis demum XXXXV paragrapho VII, postquam primum Romanorum impetum ab oppidanis propulsatum esse enarravit, Scipionem tradit per piscatores Tarraconenses compertum habuisse, facilem pedibus ad murum per

stagnum transitum dari, cum aestus decederet. Contra Polybius iam antea, cum de consilio exponeret Scipionis certiores nos fecit de ea re. In sequentibus unus Livius narrat acrem septentrionem ortum inclinatum stagnum eodem quo aestum tulisse, et adeo vada nudasse, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Contra quae Polybius de Romanorum crudelitate exponit cum dicat: τοὺς μὲν πλείστους ἐφῆκε κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος, ἐπὶ τοὺς ἐν τῇ πόλει, παραγγείλας κτείνειν τὸν παρατυχόντα καὶ μηδενὸς φείδεσθαι, μηδὲ πρὸς τὰς ὠφελείας ὁρμᾶν, μέχρις ἂν ἀποδοθῇ τὸ σύνθημα, Livius etsi non plane omittit, tamen nihil de causa, cur tantam caedem Scipio ediderit, addit. Idem, quomodo tribuni militum praedam legionibus pro more militiae Romanae diviserint praetermisit. Porro cum scribat: et auxerat navibus octo captivis classem Polybius αἱ μὲν γὰρ inquit αἰχμάλωτοι νῆες ἅμ' ὀκτωκαίδεκα τὸν κτλ. Quamquam ea discrepantia levioris est momenti, quia saepissime in numeris referendis librariorum menda in tectum irrepsisse, notum est. Sed quae iam Livius de ingenti narrat belli apparatu Carthagine capto Polybius plane omisit. Etiam in eo inter se dissentiunt, quod Livius argenti inquit facti signatique decem et octo milia et CCC pondo fuerunt, contra Polybius c. 19 scribit: παρεδίδου τοῖς ταμίαις τὰ χρήματα, ὅσα δημόσια κατελήφθη. ἦν δὲ ταῦτα πλείω τῶν ἑξακοσίων ταλάντων. Porro Graecus rerum scriptor nihil de contentione exhibet, quam inter Q. Tiberilium et Sex. Digitium de coronae muralis decore fuisse Livius est testis. Idem [1]) cum virginem illam captivam desponsam fuisse principi Celtiberorum adulescenti, cui Aluceio nomen esset, memoriae prodiderit, Polybius τὸν δὲ inquit τῆς παρθένου πατέρα καλέσας, καὶ δοὺς αὐτῶν ἐκ χειρὸς, ἐκέλευε συνοικίζειν, ᾧ ποτ' ἂν προαιρῆται τῶν πολιτῶν. Quae cum ita

1) c. 50.

sint, cur Livium existimem in ea historiarum particula manus abstinuisse a Polybio causas proferam. Quamvis enim pluribus locis similitudinem inter utrumque scriptorem intercedere videamus, quae tanta sit, ut insaniat profecto, qui de caeca casus temeritate vel tantulum cogitet, tamen discrepantiarum illa copia perlustrata, tantum abest ut Livium summam praeter Polybium alios rerum scriptores consuluisse, ut utrumque auctorem e communi fonte haesisse mihi persuaserim. Etenim quod mihi gravissimum videtur, si ea Livius, quae cum Graeci rerum scriptoris narratione conveniunt ex ipso Polybio desumpsisset, certe eum eundem in narrando ordinem servaturum fuisse, exspectandum esset. Iam vero cum Polybius eam in scribenda historia rationem sequeretur, ut antequam res ipsas quomodo gestae essent, enarraret, de causis quibus rerum exitus contineretur, eos qui legerent, certiores faceret, ita etiam in ea operis parte, quaecumque ad cuiusque rei condicionem illustrandam apta viderentur sub unum conlegit aspectum. Quare, sicut iam supra annotavimus, priusquam pergat ad Carthaginis expugnatae descriptionem, quo rectius de Scipionis arte imperatoria iudicari possit, omnia illa enumerat, quorum notitia ante ipsam expeditionem ille instructus fuerit. Aliter Livius, ab eo scribendi genere ut ieiuno abhorrens, in rerum gestarum narratione non ut novam excogitet dispositionem operam dat, sed ut legentium animos oratione artem rhetoricam redolenti oblectet. Quare non tam in rebus collocandis a via fontibus praenumita aberravit, quam in ipsa rerum narratione distinguenda atque exornanda. Quodsi alium ordinem eum secutum esse videmus atque Polybium, non Livium veri est simile eum a Polybio traditum immutasse, sed Polybium probabilis est coniectura quae in fontibus diffusa inveniret ac dissipata in certa coegisse genera. Itaque etiam illud, quod unus Polybius Scipionem aureis coronis praemiis propositis affirmasse

ait, Neptunum sibi in somno visum favere incepto, nescio an ita nobis possimus conformare, ut Graecum rerum scriptorem eis, quae in fontibus de contentione inter Tiberilium et Digitium facta tradita inveniret, ita usum esse sumamus ut quo melius Scipionis in adhortandis militibus cognosci posset animi dexteritas, orationem eius additis promissis illis amplificaret. Quam suspicionem adauget, quod quae de Neptuno tradit nequaquam iusto loco posita videntur. Etenim cum muri primum a terra tantum invaderentur, quae fuerit causa cur Neptunum potissimum auxilium Romanis in ipso pugnae periculo laturum esse Scipio praedicaret, non intellego. Multo aptius sane Livius cum aestum decedere viderent milites hoc inquit cura ac ratione compertum in prodigium ac deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent et stagna auferrent viasque ante nunquam initas humano vestigio aperirent, Neptunum iubebat ducem itineris sequi ac medio stagno evadere ad moenia. Iam vero quaerentibus nobis qui fuerit ille utriusque communis fons haud scio an illud nobis viam qua procedendum sit, commonstret, quod Livius in capitis XXXXIX paragrapho III Graecum laudat Silenum. Quamquam parum veri est simile Livium eum ipsam rerum scriptorem inspexisse. Magis arridet coniectura, Coelium Antipatrum, quem a Sileno hausisse supra iam commemoravimus Livium hoc loco de Graeci illius testimonio certiorem fecisse. Itaque Coelium Antipatrum in hac tota narratione Livi fuisse ducem propterea mihi persuasi, quod quae capite XXXXIX de Valeri Antiatis narratione comperta habemus parum cum eis conveniunt, quae Livius memoriae prodidit. Sicut vero Coelius secutus est Silenum, ita cur dubitemus num Polybius eius institerit vestigiis, causam equidem non video.

Ceterum hac nostra disputatione etiam loco supra allato lucem aspersisse mihi videor. Etenim cum in capitis XIX paragrapho XI Livius scripserit: Emporiis, urbe

Graeca — oriundi et ipsi a Phocaea sunt — copias exposuit, iam non opus est, ut Polybio ea deberi sumamus sed e Coelio Antipatro hoc loco Livium pendere, probabile est.

Ut paucis Appiani[1]) et Zonarae[2]) de eisdem rebus testimonia attingam, monendum videtur Zonarae quidem narrationem in universum cum Liviana consentire, Appianus vero cum Valerio Antiate facere videtur, quippe qui decem milium praesidio Carthaginem novam defensam esse testetur conf. Liv. c. 49.

Liber XXVII.

In proximi libri initio ne longus sim propterea Livium nego Polybium ducem secutum esse, quia cum Hannibalem narret e Bruttiis magnis itineribus Herdoneam contendisse, inde omnem multitudinem Metapontum ac Thurios traduxisse, tum in Apuliam abiisse, prorsus in incerto reliquit, quae causa eorum fuerit itinerum. De quibus, si Polybi extaret testimonium scrupulus ne tenuissimus quidem resideret. In sequentibus cum de rebus exponat urbanis inde apparet Livium non inspexisse Polybium, quod et Alexandream inquit ad Ptolemaeum et Cleopatram reges M. Atilius M' Acilius legati, ad commemorandam renovandamque amicitiam missi et quae secuntur. Fragmentum enim Polybianum apud Bekkerum 9, 44 documento est, non ad amicitiam renovandam legatos Alexandream missos esse sed ad frumentum coemendum. Accedit quod Livius uxorem Ptolemaei Cleopatram fuisse

1) Appian Iber. 19.

2) Zonaras 9, 8.

dicit, cum Polybius eam Arsinoen appellet [1]). Porro sine dubio Polybio sunt abiudicanda, quae Livius inde a capite XII usque ad XIV de Marcelli victoria ab Hannibale reportata memoriae prodidit. Ac cum in universum Plutarchus [2]) cum Liviana conspiret narratione ne eum quidem Polybium adiisse, certum est. Pergit Livius inde a capite XV ad expugnationem Tarenti enarrandam, qua de re quod Polybi caremus testimonio, sane dolendum est. Fragmentum enim, quod est apud Bekkerum 10, 1 cum de situ Tarentinorum comprehendat disputationem, cum Liviana narratione comparari omnino non potest. Sed in ipsa Livi verba inquirentibus nobis nulla occurrunt indicia, Polybium hoc loco a Livio adhibitum esse. Nam quae Livius de praeda Tarenti facta tradidit, ita omnem probabilitatis excedunt modum, ut vix Polybio tribui possint. Accedit, quod Livius scripsit: auri LXXXIII milia pondo sc. capta dicuntur. Quem certe numerum a Polybio alienum esse inde colligere licet, quod Livium scimus labore supersedisse Graecorum talentorum pretia nummis Romanis computandi. Accedit quod Plutarchus [3]) summam exhibet multo minorem ac probabiliorem cum dicat ἀνήχθη δ'εἰς τὸ δημόσιον τρισχίλια τάλαντα. Etiam ea inter Livium ac Plutarchum [4]) intercedit discrepantia, quod Livius Fabium signis ac tabulis Tarentinorum se abstinuisse narrat, cum Plutarchus eum Herculis signum Romam deportasse et ipsum sibi statuam aeneam equestrem in Capitolio posuisse, sit testis. Itaque haud scio an propius ad Polybi similitudinem Plutarchus accesserit. Appianus [5]) et Zonaras [6]) quamvis rem magis attingant quam

1) Polybius 5, 83. 15, 25, II, p. 807, 8. Müller frag. histor. Graecor. II praef. XVII. 59.

2) Plutarch. Marcellus 25.

3) Plutarch. Fabius 21.

4) vita Marcelli 21.

5) Appian. bell. Hann. c. 49. 6) Zon. 9, 8.

explicent, tamen quod Zonaras [1]) Fabium non superstitione prohibitum esse narrat, quominus Metapontum sese conferret, sed cognita in litteris Hannibalis manu ab incepto destitisse, alium fontem Dio Cassius secutus esse videtur atque Livius. Ceterum etiam illud parum est verisimile Polybium enarasse, quod Livius Fabio inquit (c. 16 § 15) auspicanti, priusquam egrederetur ab Tarento, aves semel atque iterum non addixerunt; hostia quoque caesa consulenti deos haruspex cavendum a fraude hostili et ab insidiis praedixit.

Inde a capite XVII Livius ad res in Hispania gestas denuo se convertit. Polybianum huc spectat fragmentum apud Bekkerum 10, 34. Ac primum quidem cum uterque Edesconem Celtiberorum principem ad Scipionem defecisse narret, causas eius rei multo probabiliores exposuit Polybius quam Livius. Is enim cum Edesconem narret, quod uxor liberique in Romanorum fuissent potestate et velut fortuita inclinatio animorum Hispaniam omnem avertisset ad Romanum a Punico imperio, in castra Scipionis sese contulisse, Polybius *λαβὼν* inquit *Ἐδεκῶνα τὸν Ἐδετανῶν δυνάστην, ὃς ἅμα τῷ προςπεσεῖν τὴν Καρχηδόνος ἅλωσιν καὶ γενέσθαι κύριον τῆς γυναικὸς αὐτοῦ καὶ τῶν υἱῶν τὸν Πόπλιον, εὐθέως συλλογισάμενος τὴν ἐσομένην τῶν Ἰβήρων μεταβολὴν ἀρχηγὸς ἐβουλήθη τῆς τοιαύτης ὁρμῆς μάλιστα πεπεισμένος οὕτω τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα κομιεῖσθαι εἰ δόξαι οὐ κατ' ἀνάγκην ἀλλὰ κατὰ πρόθεσιν αἱρεῖσθαι τὰ Ῥωμαίων.* Orationem quam Polybius habentem facit Edesconem Livius omnino praetermisit. Idem nihil digressionis habet, quam Graecus rerum scriptor de ratione facit, qua victoria utendum sit ducibus. In sequentibus cum Polybius ita de Hasdrubalis disputet consilio, ut

---

1) *καὶ ὃς ὑπετόπησε τὸ πραττόμενον, καὶ παραλαβὼν τὰ γράμματα ταῖς ἐπιστολαῖς, ἃς τοῖς Ταραντίνοις ποτὲ ἐγεγράφει κατεφώρασεν — τὸ ἐπιβούλευμα.*

scribat: προέθετο γάρ, διότι δεῖ, παρεσκευασμένον τὰ δυνατὰ, συμβαλεῖν πρὸς μάχην τοῖς ὑπεναντίοις κἂν μὲν ἡ τύχη δῷ τὸ νικᾶν, βουλεύσασθαι μετὰ ταῦτα περὶ τῶν ἑξῆς ἀσφαλῶς. ἂν δ' ἀντιπίπτῃ τὰ κατὰ μάχην, ποιεῖσθαι τὴν ἀποχώρησιν μετὰ τῶν διασωζομένων ἐξ αὐτῆς εἰς Γαλατίαν κἀκεῖθεν παραλαβόντα τῶν βαρβάρων ὡς πλείστους, βοηθεῖν εἰς Ἰταλίαν, καὶ κοινωνεῖν Ἀννίβᾳ τἀδελφῷ τῶν αὐτῶν ἐλπίδων, Livius breviter ita exhibet: Hasdrubal cum hostium res tantis augescere incrementis cerneret, suas imminui, ac fore ut, nisi audendo aliquid moveret, qua coepissent, fluerent, dimicare quam primum statuit. Unus Livius addit: Scipionem avidiorem etiam pugnae fuisse. Quae iam de copiarum numero sociis navalibus adaucto Livius exponit, Polybius iam supra postquam orationem ab Edescone habitam enarravit, memoriae prodidit. In enarrando itinere Scipionis unus Livius annotat, nequaquam ut barbarum stolide incauteve eum dixisse. Itaque cum breviter tantum Polybius orationem eius perstringat, Livius multus est in ea exponenda. Ad verba attendas animum Polybiana [1]: καὶ πλείω πρὸς τοῦτο τὸ μέρος αὐτῶν διαλεχθέντων. Contra in responso Scipionis referendo copiosior Livio est Graecus rerum scriptor. Praeterea unus narrat Indibilem et ceteros adorabundos Scipionem procubuisse, et regem eum salutasse. Cum pergat in sequentibus uterque ad proelium inter Scipionem Hasdrubalemque commissum describendum accuratius Polybius de regione illa nos edocet dicens: ἐν τοῖς περὶ Κασταλῶνα τόποις περὶ Βαίκυλα πόλιν οὐ μακρὰν τῶν ἀργυρείων μετάλλων. Iam vero gravior ea inter utrumque intercedit discrepantia, quod Graecus auctor Hasdrubalem testatur de Romanorum adventu certiorem factum alium castris locum cepisse, contra Livius eum prope urbem Baeculam a Scipionis velitibus antesignanisque deprehensum esse narrat. Tum

1) c. XXXVIII.

nocte demum Hasdrubalem in tumulum recepisse copias plano campo in summo patentem et quae secuntur. In describendo loco, quo Hasdrubal castra habuerit, quamvis in universum consentiant, tamen illud est offensioni, quod Livius scriptum habet: suberat et altera inferior summissa fastigio planities; eam quoque altera crepido haud facilior in ascensum ambibat, in hunc inferiorem campum postero die Hasdrubal, postquam stantem pro castris hostium aciem vidit, equites Numidas, leviumque armorum Baliares et Afros demisit. Cuius planitiei apud Polybium nec vestigium nec vola apparet. Porro non convenit inter utrumque scriptorem, quod Polybius *ἀπόρως δὲ* inquit *διέκειτο, θεωρῶν τοὺς τόπους εὐφυεῖς ὄντας πρὸς τὴν τῶν ἐναντίων ἀσφάλειαν. οὐ μὴν ἀλλὰ προςανασχὼν δύο ἡμέρας καὶ διαγωνιάσας, μή, συνεπιγενομένων τῶν περὶ τὸν Μάγωνα καὶ τὸν τοῦ Γέσκωνος Ἀσδρούβαν πανταχόθεν αὐτὸν οἱ πολέμιοι περιστῶσιν, ἔκρινε παραβάλλεσθαι καὶ καταπειράζειν τῶν ὑπεναντίων*; Livius vero postero iam die Scipionem postquam advenit, impetum in hostium castra fecisse affirmat. Praeterea orationis quam Livius ante pugnam Scipionem ad milites habentem facit, nullum apud Polybium extat vestigium. Tum ne in pugnae quidem descriptione eos inter se consentire non mirum videtur. Etenim cum Polybius de summissiore illa planitie verba omnino non fecerit per se patet, eum etiam de impetu quem a Romanis in illam factum esse Livius dicit nihil tradere potuisse. Cum causam cur fugati sint Carthaginienses eam fuisse Polybius affirmet, quod Romani prius in summum clivum evaserint, quam suum locum hostium cornua cepissent — iusto serius enim Hasdrubalem e castris eduxisse copias — Livius obscuravit paullo eam rem, cum praetermiserit illud Hasdrubalis peccatum. Quae tum narrat Livius, ne fugae quidem patuisse locum, cum Romanae stationes utrimque dextra laevaque insedissent vias, omisit Polybius. Qui de proeli exitu ita tradit ut scribat: *Ἀσδρούβας δὲ κατὰ τοὺς ἐξ*

ἀρχῆς διαλογισμοὺς, θεωρῶν κλινούσας καὶ διατετραμμένας τὰς δυνάμεις, τὸ μὲν ψυχομαχεῖν μέχρι τῆς ἐσχάτης ἐλπίδος ἀπεδοκίμασε, λαβὼν δὲ τὰ χρήματα καὶ τὰ θηρία, καὶ τῶν φευγόντων ὅσους ἠδύνατο πλείστους ἐπισπασάμενος, ἐποιεῖτο τὴν ἀναχώρησιν παρὰ τὸν Τάγον ποταμὸν κτλ.

Caesa ad octo milia Carthaginiensium esse unus Livius memoriae prodidit. Idem, ne cui mirum videatur, quod elephantos e clade illa Hasdrubal servare potuerit, Hasdrubal inquit antequam dimicaret pecunia capta elephantisque praemissis, quam plurimos poterat de fuga excipiens praeter Tagum flumen ad Pyrenaeum contendit. In sequentibus ea inter utrumque scriptorem intercedit discrepantia, quod multus est Polybius in laudando Scipione, qui ab Hispanis rex appellatus eam dignitatis speciem repudiaverit, contra Livius sensere inquit etiam barbari magnitudinem animi, cuius miraculo nominis alii mortales stuperent, id ex tam magno fastigio aspernantis. Porro quae de Massiva Livius exponit Polybius omnino emisit. Neque de bello consilium habitum esse praeter Livium ullus est testis.

Quae cum ita sint, nemo opinor negabit, permulta inveniri apud Livium, quae quin ex alio atque Polybio desumpta essc statuamus, fieri non possit. Sed dixerit fortasse quispiam Romanorum rerum scriptorem ita usum esse opere Polybiano, ut quae ab eo omissa videret, ex aliorum scriptis assumeret. Tam prope enim plurima ad Graeci auctoris similitudinem accedere, ut nisi qui vel ad apertissima obsurdescant obstinate, concedant omnes necesse sit, aliter illius sermonem Latine reddi non potuisse. Eorum qui ita disputant sententiae quominus adstipuler id potissimum est impedimento, quod iam antea, ubi de rebus in Hispania gestis Livius exposuit, cavendum nobis esse vidimus, ne similitudinum copia quae inter utrumque intercedunt, sponte tamquam in oculos incurrentium, alacriores facti Polybi vestigia certa quidem et in-

dubia in Liviana narratione nobis deprehendisse videremur. Sicut enim in illa operis Liviani particula ut Romanum rerum scriptorem e communi fonte cum Polybio hausisse statueremus causae erant gravissimae, ita nescio an etiam hoc loco talia inveniantur, unde eidem sententiae adminiculum addi possit. Ita quod multo probabilius de causis disputat Polybius de quibus Edesco primus a Carthaginiensibus defecerit parum credibile est Livium de industria eam rem in obscuritatem ac dubitationem detorsisse. Sed Polybium proclive est suspicatu, quo propensior erat ad causas cuiusque rei investigandas eo magis offendisse in sententia illa futilissima: fortuitam animorum inclinationem, quae Hispaniam omnem avertit ad Romanum a Punico imperio, eum traxisse Hispanorum ducem ad Scipionis amicitiam. Itaque tantum abest, ut temere fontem, sicut a Livio factum, esse videmus, secutus sit, ut quae aptissimae defectionis causae ei viderentur, eis Edesconem ut cum Romanis iniret societatem adductum esse affirmaverit. Similiter de alia iudicandum erit discrepantia, quod Polybius priusquam ad victoriae pergat descriptionem a Scipione reportatae, multo accuratius de Hasdrubalis consilio nos edocet quam Livius. Qui illud omnino praetermittit, Hasdrubali antequam dimicaret in animo fuisse, si parum ex animi sententia proelium cederet, e vestigio in Galliam abire. Quod, si revera Polybium secutus esset, non intellegerem cur tacuisset. Sed Graecum rerum scriptorem cum in fonte illo traditum reperiret, ante pugnam Hasdrubalem et pecuniam et elephantos ad Pyrenaeum praemisisse, probabile videtur totum Hasdrubalis consilium odoratum esse. Iam vero sicut iam supra annotavimus, cum non in ipsa rerum narratione, data occasione, imperatorum consilia soleat significare, sed quo rectius quantum in rebus gestis rationi ac consilio quantum fortunae sit tribuendum cognoscatur, antea omnia quae ad rem facere videantur sub unum conlegat adspectum, quod tam

multus est in exponendo Hasdrubalis consilio non mirum videtur. Eadem est causa cur Scipionem copias suas sociis navalibus auxisse non tum demum narrat, cum de itinere eius est expositurus, sed antea, ubi quantopere Scipio post Carthaginem expugnatam opibus invaluerit, disputat. Quod vero etiam aliae graviores sane inter utrumque scriptorem intercedunt discrepantiae, monendum videtur Polybium cum ipse loca illa quibus in Hispania pugnatum est adiisset [1]), quae in fontibus minus recte tradita reperiret, suo iure correxisse. Ceterum sicut iam antea Coelium Antipatrum Livi, Polybi Silenum fuisse fontem probare studuimus, idem cur hoc loco statuamus nihil obstat. Ut paucis Appiani [2]) earundem rerum narrationem attingam, eum neque e Livio pendere neque e Polybio inde apparet, quod multarum rerum mentionem facit ab utroque omissarum.

Pergit Livius in sequentibus ad rerum urbanarum descriptionem. Conferre licet Plutarchum [3]), qui eo discrepat a Livio quod Marcellum non Venusiae sed Sinuessae moratum esse nunciat. Sed neutrum eorum e Polybio hausisse equidem mihi persuasi. Ac ne in sequentibus quidem Livium adiisse Polybium verba docent, quae sunt in capitis XXII paragrapho VII: Scipio ex octoginta navibus, quas aut secum ex Italia adductas aut Carthagine captas habebat: Polybius enim in libri X capite XVII ita scribit: *αἱ μὲν αἰχμάλωτοι νῆες ἅμ' ὀκτωκαίδεκα τὸν ἀριθμὸν αἱ δὲ ἐξ ἀρχῆς πέντε καὶ τριάκοντα.* Sed ut omissis aliis ad ea pergamus perlustranda, in quibus certius de ratione inter Polybium et Livium intercedente iudicari possit, inde a capitis XXV paragrapho XI de morte Marcelli Romanus auctor nos edocet. Eodem

1) conf. Polybium X, 11.

2) Appian. Iber. 24.

3) Plutarch. Marcellus 27.

spectat fragmentum Polybianum apud Bekkerum 10, 32. Sed Livium hoc loco fontes secutum esse vernaculos discrepantiae te docebunt inter utrumque intercedentes hae: ἴλας δύο καὶ γροσφομάχους μετὰ τῶν ῥαβδοφόρων εἰς τριάκοντα λαβόντες προῆγον Polybius exhibet, contra Livius cum equitibus CCXX, inquit, ex quibus quadraginta Fregellani, ceteri Etrusci erant, proficiscuntur. Idem unus A. Manlium, L. Arrenium et M'Aulium secutos esse nunciat. Porro nihil omnino de infaustis illis ominibus Polybius tradit. conf. Liv. XXVI § 13. Ceterum quod triplicem rei gestae rationem Coelium Antipatrum edidisse Livius testatur, eum ipsum hoc loco veri est simile Livi ducem fuisse primarium. In sequentibus cum de Hannibalis impetu in Salapiam facto Livius memoriae prodat verba Polybiana a Suida [1]) tradita conferre licet: οἱ δὲ καταρράκτας οὓς εἶχον ὀλίγον ἐξωτέρω διὰ μηχανημάτων ἀνημμένους, αἰφνίδιον καθῆκαν καὶ ἐπεβάλοντο, καὶ τούτους κατασχόντες πρὸ τοῦ τείχους ἀνεσκολόπισαν. Quibus respondent quae Livius habet in capitis XXVIII paragrapho X: cataracta obiecta clausa erat. Eam partim vectibus levant, partim funibus subducunt in tantum altitudinis, ut subire recte possent, et quae secuntur. Quamquam cum nimis exiguum sit fragmentum illud, certius vix puto de fontibus Livi iudicium ferri posse. Aliter res se habet in eis, quae de bello contra Philippum gesto Livius narrat [2]). Nobis enim accuratius verba Liviana perlustrantibus, fieri non potest quin multa Graecum fontem redolentia occurrant. Ita c. 20 § 9 Aetoli inquit navibus per fretum quod Naupactum et Patras interfluit — Rhium incolae vocant — exercitu traiecto etc. Porro c. 32 § 4 deinde contracto iam inter Aetolos et Trallis — Illyriorum id est genus, — c. 32 § 7 postero die ad castellum — Pyrgum vocant — copias omnes

---

1) Suidas sub voce ἡμμένοι Bekker 10, 33.

2) Liv. 29, 7. 33, 5.

eduxit. Inde recte nos collegisse Livium Graecum consuluisse auctorem, insuper demonstrant fragmenta Polybiana, quorum unum apud Bekkerum extat 10, 25. Quod quidem cum orationem comprehendat, ad legatorum contionem spectare videtur Aegium convocatam, conf. Liv. 30. § 10: Ibi de Aetolico bello finiendo actum ne causa aut Romanis aut Attalo intrandi Graeciam esset. Ipsam orationem Livius omisit. Porro quod verba in margine codicis Urbinatis reperta *πᾶσαν γὰρ δημοκρατικὴν συμμαχίαν καὶ φιλίας πολλῆς δεῖσθαι διὰ τὰς ἐν τοῖς πλήθεσι γιγνομένας ἀλογίας* post orationem illam collocavit Bekkerus, sane fieri potuit ut etiam ea in consilio illo ab oratore aliquo pronunciarentur. Sed accuratius quo pertineant vix definiri poterit. Tertium denique fragmentum a Valesio primum evolgatum (Bekker 10, 26) de vita Philippi Argis peracta certiores nos facit. Ad cum eo quidem prorsus consentit Livius c. 31 inde a paragrapho 3. Quamquam ne in eo haereas, quod non ad verbum exemplar suum Romanus rerum scriptor expresserit, monendum videtur, rationis quam in vertendo Graeco sermone Livium secutum esse iam nemo nescit, etiam hoc loco certa extare vestigia. Ita saepius copiosam Polybi narrationem breviter perstrinxit. Nam quae dicit Polybius: *οὐ γὰρ ἔτι τὰς χήρας ἐπείρα γυναῖκας οὐδὲ τὰς ἀνάνδρους ἠρκεῖτο μοιχεύων, ἀλλ' ἐκ προστάγματος, ἣν αὐτῷ φανείη, προπέμψας ἐκάλει, ταῖς δὲ μὴ προχείρως συνυπακουούσαις ἐνύβριζε κτλ.* ita Livius vertit ut scribat: neque enim omnia emebat aut eblandiebatur, sed vim flagitiis adhibebat. Idem de suo videtur addidisse c. 31 § 5: aequaverat ceteris se in speciem, q u o n i h i l e s t g r a t i u s c i v i t a t i b u s l i b e r i s [1]). Alia discrepantia videtur esse, quod

1) Sed ne quis putaverit aliam inter utrumque scriptorem discrepantiam intercedere eam, quod Livius dicit: periculosumque et viris et parentibus erat, moram incommoda severitate libi-

Livius 31 § 9 per haec inquit flagitia solemni Nemeorum peracto etc. contra fragmentum Polybianum ita incipit: ὅτι Φίλιππος ὁ βασιλεὺς Μακεδόνων μετὰ τὸ ἐκτελέσαι τὸν τῶν Νεμέων ἀγῶνα, αὖθις ἐς Ἄργος ἐπανῆλθεν. Sed cum pergat Livius: „paucisque additis diebus" quivis intellegit, eum non de solis diebus festis a rege per flagitia peractis memoriae prodere. Pergit Livius ad res urbanas exponendas. Tum in capite XXXIX Hasdrubalem narrat Alpibus superatis in Italiam venisse. (In capite XXXVI Massiliensium legatos primum nunciasse tradit, eum in Galliam transgressum esse.) Polybianae narrationis nihil servatum est nisi verba a Suida sub voce ῥᾳδιεστέραν tradita, apud Bekkerum 11, 1 ἀλλὰ πολὺ ῥᾳδιεστέραν καὶ συντομωτέραν συνέβη γενέσθαι τὰν Ἀσδρούβου παρουσίαν εἰς Ἰταλίαν. Eodem spectat quod Livius c. 39, 6 dicit: ceterum Hasdrubali et sua et aliorum spe omnia celeriora atque expeditiora fuere. Postquam Livius in sequentibus de rebus urbanis verba fecit, inde a capitis XXXX paragrapho X ad proelia pergit describenda a Romanis feliciter contra ipsum Hannibalem commissa. Quae mihi propterea a Polybiana narratione videntur aliena, quod identidem ille negat Hannibalem ante cladem apud Zamam acceptam, victum esse. Neque aliter de eis iudicandum videtur, quae in extremo libri XXVII Livius tradidit.

---

dini regiae fecisse contra Polybius: καὶ τῶν μὲν τοὺς υἱεῖς inquit τῶν δὲ τοὺς ἄνδρας ἀνακαλούμενος ἐπὶ προφάσεσιν ἀλόγοις διέσειεν. Fieri enim non potest, quin labem traxerint verba Polybiana. Nam quid sit, cur τῶν μὲν τοὺς υἱεῖς τῶν δὲ τοὺς ἄνδρας ad se vocatos insultaverit, parum intellego. Certe e toto sententiarum connexu apparet hic et de virginibus et de feminis in matrimonio viventibus pari modo a rege petitis cogitandum esse. Itaque cum aliarum viros, ut uxores libidini suae dederent, increparet, aliarum eum non filios, sed parentes impudenter postulando sollicitasse consentaneum est. Itaque non dubito, quin pro υἱεῖς scribendum sit γονεῖς.

Ibi cum de proelio ad Metaurum facto exponat, comparare licet fragmentum Polybianum apud Bekkerum 11, 1. Sed accuratius nobis inspicientibus Livius non videbitur e Polybio hausisse. Permulta enim ab illo omissa Romanus rerum scriptor exhibet. Ita unus habet Ligures in medio ante elephantos fuisse collocatos. Porro narratiunculae illius, elephantos ab ipsis rectoribus interfectos esse apud Polybium nec vestigium nec vola extat. Quamquam cum in universum ad Graeci rerum scriptoris similitudinem Liviana narratio comparata videatur, coniectura in promptu est, etiam hoc loco e communi fonte utrumque hausisse.

Iam cum ad finem libri XXVII perventum sit, hic subsistere nobis liceat. De ceteris eius decadis libris disputatio accuratior in futuram opportunitatem differenda videtur.

GVILELMVS MICHAEL DE VITA SVA.

Guilelmus Michael natus sum Halis a. d. X Cas. Apr. anni h. s. XLIII patre Christiano matre Iohanna de gente Henninges. Auctumno anni MDCCCLVIII, postquam per sex menses urbis patriae gymnasium frequentavi, in scholam Portensem transmigravi, quae Petero moderante et florebat et floret. Consilium, quod diu me agitaverat, philologiae operam impendendi cum ultimo anno, quem in gymnasio degi labare coepisset et dubitarem an theologiae potius me dederem, anno h. s. LXIII maturitatis testimonio instructus Halas me contuli si possem et theologiae et philologiae operam navaturus. Itaque per ter senos menses scholas audivi theologicas Beyschlagi, Hupfeldi, Tholucki, philologicas Bernhardyi, Bergki, philosophicas Erdmanni, Schalleri. Magis magisque vero theologia mihi displicere et antiquarum litterarum studium in dies iucundius videri coepit. Itaque cum auctumno LXIV Bonnam me contuli, statim omnem curam rebus philologicis impendi. Duobus igitur annis, quibus Bonnae litteris operam dedi, docentes audivi Gildemeisterum, Iahnium, Ritschelium, Schaeferum, Simrockium, Springerum, Sybelium. Iahni Ritschelique benignitate mihi contigit ut in seminarium philologicum reciperer, cuius per ter sex menses sodalis fui ordinarius. In seminario archaeologico ut vires meas exercerem Iahnius, ut exercitationes historicas obirem Kampschultius, Schaeferus, Sybelius benignissime mihi concesserunt. Quibus viris omnibus imprimis Iahnio, Ritschelio, Schaefero gratias ago plenissimas.

THESES.

I. In Euripidis Medea v. 11 et 12 transponendi sunt.

II. Eur. Hec. 1137 scribendum videtur *ἄκουσον ὡς εὔκαιρος ἡ προμηθία.*

III. Eur. Helena 421 conicio *οὔτ' ἀμφὶ χρῶτ' ἐσθῆτας οὔτ' ἀνελκύσαι πάρεστι κτλ.*

IV. Liv. l. XXX c. XXXV § 11 corrupta sunt verba: Coelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt.

V. Polyb. 11, 21 pro verbis: *τῇ δὲ παρὰ τῶν καταβαινόντων τοῖς Ῥωμαϊκοῖς ἱππεῦσιν εὐχειρίᾳ κτλ.* legendum: *τῇ δέ τῶν παρακαταβαινόντων τοῖς Ῥωμαϊκοῖς ἱππεῦσιν κτλ.*

VI. Summum in philologia est intellegere.

VII. Maximum docentis officium est nosse ac docere discendi vias.

VIII. Magistratuum in Atheniensium republica sortitio a Clisthene est instituta.

DIE QUELLEN

DES

LIVIUS UND DIONYSIOS

FÜR DIE ÄLTESTE GESCHICHTE

DER RÖMISCHEN REPUBLIK (245—260).

INAUGURAL-DISSERTATION

EINGEREICHT BEI DER

KAISER WILHELMS UNIVERSITÄT STRASSBURG

ZUR

ERLANGUNG DER DOCTORWÜRDE

VON

HANS VIRCK,

SÜLZE IN MECKLENBURG.

STRASSBURG,

BUCHDRUCKEREI VON R. SCHULTZ & COMP.

(BERGER-LEVRAULT'S Nachf.).

1877.

Meinem lieben Vetter

H. RASPE,

dem treuen Vormund

als

ein Zeichen dankbarer Gesinnung.

Nachstehende Abhandlung ist auf Anregung und im Seminar des Herrn Prof. G. Wilmanns entstanden; ich bin ihm für die mannichfachen Anweisungen und Fingerzeige, welche er mir für dieselbe zu Theil werden liess, den grössten Dank schuldig und glaube eine Pflicht zu erfüllen, wenn ich denselben hier ausspreche.

Im Folgenden soll versucht werden die Quellen von Livius lib. II, 1—II, 33, 3 und Dionysios lib. V, 1—VI, 90 zu bestimmen. Dass ein solcher Versuch auch nach Nitzsch's geistvollem Werke über die Römische Annalistik nicht ungerechtfertigt ist, muss die Arbeit selbst zeigen; den Verfasser haben jedenfalls die in jenem Buche vorgetragenen Untersuchungen nur zum kleineren Theile überzeugt. Es scheint unumgänglich, die Resultate derselben hier kurz zu resümiren und wenigstens die Hauptgründe, durch welche Nitzsch sie stützt, zu widerlegen; in der dann folgenden Spezialuntersuchung glaubte der Verfasser sich der Polemik enthalten zu sollen.

Nitzsch's Resultate sind folgende: Dionysios lib. V, 1—XI, 63 und Livius lib. II, 1—IV, 8 benutzen wesentlich nur drei Quellen, eine alte, eine jüngere und jüngste. Erstere wird durch Fabius, die zweite durch Antias, die dritte durch Licinius repräsentirt. Der jüngsten Quelle folgt Dionysios von lib. V, 1—IX, 71, während der denselben Zeitraum behandelnde Abschnitt bei Livius lib. II —III, 4 aus der alten Quelle entlehnt ist. Von lib. X, 1—X, 57 geht Dionysios dann zu der jüngeren Quelle über, während Livius für denselben Zeitraum (Liv. III, 5—III, 34) zu der bisher von Dionysios benutzten jüngsten Quelle greift. In dem letzten Abschnitt endlich Dion. X, 58—XI, 63 und Liv. III, 35—IV, 8 folgen beide der jüngsten Quelle. Die Benutzung der Quelle durch Livius und Dionysios findet in der Art statt, dass beide in der Hauptsache dieselbe ausschreiben und nur höchst selten andere Quellen einsehen; mit andern Worten: es ist immer nur e i n e e i n z i g e Quelle, welcher Livius und Dionysios in den betreffenden Abschnitten folgen. Zu dieser Ansicht gelangt Nitzsch auf folgendem Wege. Zuerst wen-

det er die durch Nissen für die IV. und V. Decade des Livius gefundenen Resultate auch auf die früheren Decaden an und meint von vorneherein annehmen zu müssen, dass Livius auch in diesen auf dieselbe Weise gearbeitet habe, wie dort. Er sucht dies für die dritte Decade nachzuweisen, indem er eine Benutzung des Polybios durch Livius leugnet, vielmehr die Uebereinstimmungen zwischen beiden im ersten Theil der Decade darauf zurückführt, dass Livius den Coelius benutzte, der wiederum dieselbe Quelle wie Polybios verarbeitet haben soll; im zweiten Theil darauf, dass Livius dem Antias folgte, der seinerseits wieder den Polybios ausschrieb. Nur auf diese Weise, meint Nitzsch, seien die Abweichungen bei aller Uebereinstimmung zwischen Livius und Polybios in der dritten Decade zu erklären[1]. Nachdem Nitzsch so für die dritte Decade zu demselben Resultat gelangt ist, wie Nissen für die vierte und fünfte, meint er, dass auch für die erste ein gleiches Resultat wahrscheinlich sei, d. h. dass Livius auch hier für grosse Partieen nur einer Quelle folge, die er ziemlich genau ausschreibe. Diese Ansicht wird ihm dann durch andere Beobachtungen bestätigt. Diese sind:

1) Wenn bei Liv. III, 39 und Dion. XI, 5. «*Die Valerier und Horatier als die eigentlichen Gründer der republikanischen Freiheit bezeichnet*» werden, so setzen, meint Nitzsch, «*diese Stellen nothwendig eine Darstellung der Anfänge der Republik voraus, welche neben Valerius Poplicola als Mitgesetzgeber und Mitconsul denjenigen Horatius hinstellte, der in den Fasten schon als sein Mitconsul vorkam*[2].» Diese Darstellung findet sich aber bei Dionysios im fünften Buch. Also stammen Liv. III, 39. Dion. XI, 5 und lib. V aus einer Quelle.

2) Wir finden bei Dionysios folgende Censusjahre:

Das Jahr 246	. . . .	Dion. V, 20.
» » 256	. . . .	» V, 75.
» » 261	. . . .	» VI, 96.
» » 280	. . . .	» IX, 36.

Für letztere Zahl ist nach Nitzsch nach dem Vorgange

---

1. Nitzsch Annal. p. 13 ff.
2. Nitzsch Annal. p. 43.

Kiesslings[1] 281 zu schreiben. Diese Reihe weiter fortgesetzt führt endlich auf das Jahr 311, in welches nach Liv. IV, 8 die Einsetzung der Censur fällt. Andererseits haben wir bei Livius eine zweite Reihe von Censusjahren, nämlich :

Das Jahr 289 . . . . Liv. III, 3—9,
» » 294 (295). » III, 22, 1 u. III, 24, 10,

welche fortgesetzt auf das Einsetzungsjahr der Censur 319 führt, das bei Liv. IV, 22 angegeben ist. Nach allgemeiner Annahme ist dieser Widerspruch bei Livius aus einem Wechsel der Quelle zu erklären. Nun aber ist das Einsetzungsjahr der Censur 311, Liv. IV, 8 wahrscheinlich eine Fälschung des Licinius[2]; also auch die ganze zu dieser Jahreszahl stimmende Reihe der Censusjahre bei Dionysios[3]. Daraus folgt, dass Liv. IV, 8 und Dion. V, 20; V, 75; VI, 96; IX, 36 aus einer Quelle stammen.

3) In den Fasten der Jahre 247—289 (Liv. II, 15—III, 2; Dion. V, 21—IX, 61) finden sich bei Dionysios in 43 Consulaten 37 cognomina, während Livius in 40 Consulaten nur 4 cognomina hat. Von 290 — 304 aber (Liv. III, 4—III, 35; Dion. IX, 62—X, 58) zählt man bei Livius 12 cognomina, bei Dionysios nur 8[4]. Hierzu kommt noch, dass in demselben Abschnitt, in welchem die cognomina bei den beiden Schriftstellern erscheinen, sich auch Angaben über den Beginn des Amtsjahres finden. Daraus schliesst Nitzsch, dass durch das häufigere Auftreten der cognomina bei Livius und Dionysios eine jüngere und zwar dieselbe Quelle bei beiden Schriftstellern angezeigt werde. Danach würde also Dion. V, 21—IX, 61 einer jüngeren Quelle angehören als Liv. II, 15—III, 2, und hinwiederum Liv. III, 4—III, 35 jünger sein als der Anfang des zehnten Buches des Dionysios, und zwar müsste Dion. V, 21 — IX, 61 aus denselben Quellen stammen wie Liv. III, 4—III, 35. — Diese Betrachtungen

1. De Dionysi Halicarnasei antiquitatum auctoribus latinis p. 28.
2. Mommsen Chronol. p. 96.
3. Nitzsch Annal. p. 44.
4. Nitzsch Annal. p. 27 : Die von Nitzsch angegebenen Zahlen sind nicht richtig und müssen in die im Text gegebenen geändert werden.

führen Nitzsch zu dem Urtheil, dass Dion. V, 1 bis Ende des neunten Buches, lib. XI, und Liv. III, 4—IV, 8 aus einer Quelle entnommen sind. Diese Quelle, so schliesst er weiter, kann aber nur eine einzige gewesen sein, weil sonst die hervorgehobenen Uebereinstimmungen nicht so deutlich hervortreten würden[1]. Damit ist aber ferner nach Nitzsch bewiesen, dass auch Livius in der ersten Decade, wie in den folgenden arbeitet, d. h. dass er wesentlich immer nur einer Quelle für grössere Abschnitte folgt, andere Quellen nur höchst selten zu Rathe zieht und dann auch meist nur einsieht, nicht eigentlich benutzt. Die Beweisführung wird aber auch noch weiter fortgesetzt. Es wird nämlich gezeigt, dass in der Geschichte des zweiten Decemvirates Liv. III, 35 ff. Dion. X, 58 ff. beide Schriftsteller den Licinius benutzen[2]. Es würde also daraus folgen, dass wir den Licinius als Quelle für Dion. V, 1—IX annehmen müssen. Ferner aber lässt sich für den ersten Theil des fünften Buches bei Dionysios darthun, dass er aus einer älteren bei Livius sich findenden Darstellung und Valerius Antias zusammengearbeitet ist. Da nun aber Dionysios nach Nitzsch hier nur einer Quelle folgt, so haben wir anzunehmen, dass diese Zusammenarbeitung nicht von Dionysios herrührt, sondern von Licinius, der schon den Antias benutzte.

Dies sind die Gründe, welche die Grundpfeiler der Ansicht von Nitzsch bilden, und die wir, bevor wir an unsere eigentliche Aufgabe gehen, zu widerlegen haben. Von vorneherein kann man nun sagen, dass eine Benutzung des Antias durch Licinius sehr viel Unwahrscheinliches hat, da beide, soviel wir wissen, ungefähr Zeitgenossen waren. Um aber auf die Beweise von Nitzsch einzugehen, so muss zugegeben werden, dass sich die Worte Liv. III, 39 *decem Tarquinios appellantem admonentemque Valeriis et Horatiis ducibus pulsos reges* allerdings auf den Consul Horatius beziehen, der hierdurch als Befreier vom Tyrannenjoch bezeichnet wird. Indess konnte letzteres auch allein aus dem Grunde geschehen, weil ein Horatier im ersten

1. Nitzsch Annal. p. 30.
2. Nitzsch Annal. p. 29.

Jahr der Freiheit Consul war; auf dieselbe Quelle mit Dion. lib. V kann hieraus nicht ohne Weiteres geschlossen werden, zumal von einer Mitgesetzgeber- und Mitfeldherrnschaft des Horatius, wie sie bei Dionysios lib. V erscheint, gar nicht die Rede ist. Sehen wir nun aber die Stelle Dion. XI, 5 näher an, so weicht sie sehr bedeutend von Liv. III, 39 ab. Allerdings sagt Dionysios, dass jener hier genannte M. Horatius ein Nachkomme des Consuls Horatius aus dem ersten Jahr der Republik gewesen sei. In der darauf folgenden Rede aber, welche dieser M. Horatius hält, bezieht er sich nicht auf seinen Vorfahr den Consul, sondern auf Horatius Cocles. Zudem werden die Valerier von den Horatiern durch ein μὲν — δὲ streng geschieden. Nur erstere erscheinen als die Befreier von der Tyrannis: ..... σώζονται μὲν οἱ Οὐαλερίων ἀπόγονοι τῶν ἐξελασάντων τὴν τυραννίδα; von letzteren wird nur gesagt, dass sie das Vaterland durch ihren Arm vor Unterjochung bewahrt hätten. Die betreffenden Worte: λείπεται δὲ διαδοχὴ τῆς Ὁρατίων οἰκίας οἷς πάτριόν ἐστιν ὁμόσε χωρεῖν τοῖς καταδουλομένοις τὴν πατρίδα καὶ μετὰ τῶν ἄλλων καὶ μόνοις zeigen deutlich, dass der Redner hier nur den Horatius Cocles im Auge hat. Denn erstens hat sich der Consul M. Horatius auch nach Dion. lib. V nicht im Kampfe mit dem Feinde ausgezeichnet; zweitens aber passen die Worte vortrefflich auf den Kampf, welchen Horatius Cocles zur Rettung der Tiberbrücke nach dem übereinstimmenden Bericht des Livius, Plutarch und Dionysios[1] mit dem Feinde bestand. Das μετὰ τῶν ἄλλων bezieht sich nämlich auf seine zwei Begleiter, die ihn zuerst bei seinem Vorhaben unterstützten, das μόνοις darauf, dass als diese sich zurückgezogen hatten, er allein die Feinde so lange aufhielt, bis die Brücke hinter ihm abgebrochen und somit die Stadt gerettet war. Die drei von Nitzsch angezogenen Stellen zeigen also durchaus nicht eine Uebereinstimmung, die uns berechtigte sie auf eine Quelle zurückzuführen.

Aus den Censusjahren, die wir bei Dionysios und Livius angegeben finden, kann ebenfalls nichts geschlossen wer-

1. Liv. II, 10. Dion. V, 23 f. Plut. Popl. 16.

den. Denn 1) kommt bei Dion. IX, 36 auch das Jahr 280 als Censusjahr vor, welches zu der übrigen Reihe nicht stimmt und auch nicht in 281 geändert werden darf, da es durch die capitolinischen Fasten feststeht[1]; 2) erwähnt Dionysios lib. XI, 63, also in dem nach Nitzsch auf Licinius zurückgehenden Theil, den Census von 295, der auf jener ungetrübten Tradition beruhen soll und zu dem von Plutarch Popl. 12 für das Jahr 245 angeführten zu stellen ist; 3) sagt Livius III, 24, 10 der Census des Jahres 295 sei der zehnte gewesen, was voraussetzt, dass auch seine Quelle die von Dionysios mitgetheilten Census kannte. Wir können also nicht zwei von einander unabhängige Censusreihen in den ältern und jüngern Stücken des Livius und Dionysios annehmen.

Auch der dritte von Nitzsch angeführte Beweis ist hinfällig. Es ist allerdings richtig, dass sich in den Fasten der Jahre 247—289 bei Dionysios 37 cognomina, bei Livius deren nur 4, auch richtig, dass sich für die Jahre 290—304 (Liv. III, 4—III, 35; Dion. IX, 62—X, 58) bei Livius 12, bei Dionysios nur 8 cognomina finden. Aber wenigstens aus der letzten Thatsache durfte nicht die Folgerung gezogen werden, welche Nitzsch daraus zieht. Denn da schon Liv. III, 35 und Dion. X, 58 die Darstellung des zweiten Decemvirates beginnt, in welcher beide der jüngern Quelle folgen sollen, so durften die in beiden Kapiteln sich findenden Namen nicht mehr mitgezählt werden. Lassen wir aber diese ausser Rechnung, so ergiebt sich, dass bei derselben Anzahl der Consulate sowohl die angeblich jüngste Quelle des Livius, als die ältere des Dionysios 8 cognomina aufweist, während sich gerade in den cognomina der zweiten Decemvirn die grösste Differenz zwischen Livius und Dionysios findet: Livius führt deren vier an, Dionysios nur eines und doch folgen hier beide der jüngsten Quelle! Wie derartige Betrachtungen nichtig sind, zeigt auch die Dionysische Erzählung selbst: denn während Dionysios in den Jahren 290—302 8 cognomina aufweist, d. h. in dem Theile 8 cognomina, welcher aus der verhältnissmässig älteren, Beinamen entbehrenden

1. Corp. inscr. lat. I p. 425.

Quelle stammen soll, hat er in den Jahren 266—282 sogar nur 3, d. h. 3 cognomina in dem Abschnitte, welcher aus der jüngsten Quelle genommen sein soll. Sieht man aber von den Consulnamen ab, so ist kein Unterschied in Betreff der cognomina bei den in Frage stehenden Abschnitten zu entdecken : man kann also nur sagen, dass von 290 an die cognomina häufiger bei Livius zu werden beginnen. Ueberhaupt aber ist es gefährlich aus den in den Fasten der beiden Darstellungen sich findenden derartigen Abweichungen Schlüsse auf die Quellen der Erzählung zu machen : Fasten fanden sich in Aller Händen und es wäre z. B. wohl denkbar, dass ein annalistisch erzählender Schriftsteller ein nach seiner Ansicht bestes Fastenexemplar nahm und in diese Fasten die Erzählungen einarbeitete, die er überliefert fand. — Im Zusammenhang hiermit wird man, wenn man die chronologischen Angaben über den Antrittstag der Consulen bei Livius und Dionysios durchsieht[1], auch weiter nichts behaupten können, als dass Livius da die Jahresanfänge zu notiren beginnt, wo er anfängt überhaupt ausführlicher zu erzählen.

Wir glauben hiermit die Gründe auf welche Nitzsch hauptsächlich seine Ansicht über das Verhältniss des Dionysios und Livius zu ihren Quellen stützt, als nicht durchschlagend erwiesen zu haben. Es fallen mit ihnen die daraus gefolgerten Schlüsse, so namentlich, dass Livius und Dionysios immer nur einer Quelle gefolgt seien, dass Licinius schon den Antias benutzt habe, und Dionysios alles so in seinen Quellen vorgefunden, wie wir es bei ihm lesen; dass endlich auch die Reden von ihm ohne Aenderung aus seinen Quellen in seine Darstellung herübergenommen sind. Versuchen wir es diesen als unrichtig erwiesenen Schlüssen gegenüber für den oben von uns bezeichneten Abschnitt des Livius und Dionysios zu gesicherteren Resultaten zu gelangen.

---

1. Sie finden sich für die Jahre 261 Dion. VI, 49; 278 Dion. IX, 25; 291 Liv. III, 6; 292 Liv. III, 8; 304 Liv. III, 36, 38 und Dion. X, 59; 311 Dion. X, 59. Cf. Mommsen Chronol. p. 80 ff. (ed. II).

Analyse von Livius II, 1—II, 33, 3.

Schon bei oberflächlichem Durchlesen von Livius und Dionysios wird man sich der Ansicht zuneigen, dass Ersterer weit älteren Quellen folgt als Letzterer. Bei Livius erscheint die Erzählung in der knappsten Form, die einzelnen Thatsachen stehen ausser Zusammenhang, und eine Vermittelung ist selten versucht worden; bei Dionysios haben wir eine breit ausgemalte Darstellung; die bei Livius auseinander klaffenden Theile sind in enge Verbindung gesetzt, ein einheitlicher Faden geht durch die ganze Darstellung.

Alle Forscher sind denn auch über diesen Punkt einig[1]. Wollte noch Jemand, was speciell Livius angeht, an der Richtigkeit dieser Beobachtung zweifeln, so sind seine eigenen Worte geeignet solche Zweifel zu verscheuchen, da er sich wiederholt auf die ältern Schriftsteller beruft[2]. Er spricht aber auch von ihnen in der Mehrzahl; können wir seinen Worten glauben, so müssen wir also annehmen, dass er mehrere Quellen bei Abfassung dieses Abschnittes zur Hand hatte. Diese Ansicht wird bestätigt, wenn wir die betreffenden Stellen des Livius näher in's Auge fassen: zuerst wird cap. 5 am Ende ein von der Haupt-Darstellung abweichender Bericht über den Freigelassenen angeführt, welcher den Staat durch Entdeckung einer Verschwörung rettete. Eine zweite Abweichung notirt Livius cap. 8, wo es heisst, dass die ältern Schriftsteller den Lucretius nicht als suffectus des Brutus aufführten, sondern letzterem gleich den Horatius folgen liessen. Cap. 18 sagt er, dass die Schriftsteller weder in dem Jahr noch in dem Consulpaar übereinstimmten, unter welchem die Dictatur eingeführt sei, ja dass dieselben auch in Betreff der Gründe, weshalb die Dictatur eintrat, und in den Namen der ersten Dictatoren von einander abwichen. Ferner mel-

1. Schwegler R. G. II p. 10 u. 11. Nitzsch Annal. p. 26.
2. Liv. II, 8, 5, und 18, 5.

det er cap. 21, dass das Jahr der Schlacht am See Regillus verschieden angegeben werde. Diese Bemerkung veranlasst ihn dann zu dem bekannten Stossseufzer über die Schwierigkeit die älteste Geschichte zu schreiben, da die Thatsachen so sehr verschieden überliefert seien. Die letzten Differenzen endlich, welche von Livius erwähnt werden, finden sich am Ende unseres Abschnittes cap. 32 und 33: zuerst wird hier als eine von der gewöhnlichen abweichende Nachricht angeführt, dass die Plebejer nicht auf den heiligen Berg, sondern auf den Aventin gezogen, dann erfahren wir, dass nach einem Bericht nicht 5, sondern nur 2 Tribunen gewählt seien.

Eine ohne Voraussetzungen an die Erzählung des Livius herantretende Kritik wird in diesen Aeusserungen zunächst einen Beweis für die Ansicht finden, dass Livius mehrere Quellen benutzte und dieselben für seine Zwecke zusammenarbeitete. Indess wäre es ja immerhin möglich, dass er jene Citate schon in seiner Quelle vorfand und sie aus derselben mit in seine Darstellung herübernahm.

